DE VITIS PHILOLOGORVM NOSTRA AETATE CLARISSIMORVM

VOLVMEN SECVNDVM

AVCTORE

THEOPH. CHRISTOPH. HARLESIO

CVLMBACENSI.

NAPOLI

BREMAE

IMPENSIS GEOR. LVDOVICI FOERSTERI

CIƆ IƆCC LXVII.

VIRO ILLVSTRI
DOCTISSIMO
ET CELEBERRIMO

IOANNI IVSTINO SCHIERSCHMID

I. V. DOCTORI ET PROFESSORI PVBLICO
ORDINARIO IN ACADEMIA INCLVTA
ERLANGENSI
ET SERENISSIMO PRINCIPI MARCHIONI
BRANDENBVRGO - CVLMBACENSI
A CONSILIIS AVLICIS

PATRONO ET SOCERO SVO
OMNI PIETATIS CVLTV PROSEQVENDO
HOC GRATI PIIQVE ANIMI MONIMENTVM

PONERE ET D. D. D

VOLVIT

M. THEOPH. CHRISTOPH. HARLES.

Digitized by Google

Etſi iam diu,

VIR ILLVSTRIS,

noſti, quo ego ergà TE ſim animo, cuius quidem candore et ardore a nemine me vinci facile patiar; et qua pietate ac religione, qua nulli cedo, TE proſequar; Etſi iam ſaepius et praeſens et per litteras miram TVAM ergà me humanitatem ac liberalitatem, inſignemque amorem, cui in poſterum diffidere flagitium atque nefas erit, cum ſumma officiorum teſtificatione laudaui: religioni tamen duxi, ſi cui alii, ac TIBI, quem alterum patrem colo venerorque, et à quo in me

 tot

tot tantaque proficiſcuntur beneficia, hoc opuſculum ſacrum eſſe iuberem. Exiguum quidem ac leuidenſe eſt munuſculum pro inſignibus ornamentis, quibus me cumulaſti: at TIBI tamen, a quo me amari ſcio, haud omnino ingratum fore, ſum perſuaſus. Mihi vero, quid honorificentius eſſe poteſt, quam palam profiteri, me TECUM, qui litteris, gratia, auctoritate et gloria flores, arctiſſimo neceſſitudinis vinculo eſſe coniunctum? Quid mihi exoptatius, quam TIBI omnibusque declarare, me pietatis erga TE eſſe totum? Atqui voluptatem, cuius vim ſentio, et qua, in ſplendidam TVAM me receptum eſſe familiam, perfundor; ſatis exprimere neſcio; mihique haec ſcribenti TVA obuerſatur

ſatur

ſatur imago, renuens autem pro eo, qui in TE ſuauiter elucet, pudore, omnes laudes, quas TIBI TVIsque in academiam Erlangenſem, inque rem litterariam meritis debeo. Accipe igitur, VIR ILLVSTRIS, hoc pietatis, religionis, gratique animi pignus eo vultu, quo me vel antea excepiſti, quam in TVAM conſuetudinem, quam meus tantum pudor mihi clauſerat, penitus inſinuaui, filia TVA, animae meae dimidio, ducta. Equidem primarum mearum partium fore cenſebo, pro diuturnitate et felicitate vitae TVAE preces ad ſidera mittere ardentiſſimas. Penes Deum vero omnium rerum arbitrum, eſto, num ſenectutis TVAE extremae, quam TIBI opto, aliquando eſſe queam ſolatium:

hoc certe promitto, ſpondeoque, me, quam diu in viuis ero, nihil eſſe intermiſſurum, quo animum teſtificer, omnibusque officiis declarem TIBI obſtrictiſſimum. Vale, SOCER OPTIME, mihique faue,

NOMINIS TVI ILLVSTRIS

Coburgi
Poſtridie Calend.
Sextilis
CIↃ IↃCCLXVI.

cultori addictiſſimo
THEOPHILO CHRISTOPHORO
HARLES.

PRAEFATIO.

Diuturni ſilentii, quo eram a primo edito volumine vſus, non timore aliquo aut torpore, ſed partim vitae genere et loco plus ſimplici vice mutatis, partim aduerſa valetudine, partim nouis iisque amplis nec ſatis expediendis negotiis muneribusque mihi ſubinde delatis; hic tandem tomus finem adtulit, idemque initium, quae habui, quae de viris doctis dicerem, quaeque de illis ſentirem, meo priſtino more ſcribendi. Neque enim verecundia et pudor, qui mihi a natura datus eſt; neque dignitas atque auctoritas eorum, quorum vitam enarraui:

neque copia omnia omnium philologorum ſcripta perluſtrandi, in tanta apud nos amplarum bibliothecarum raritate, neque ſatis plena de omnium vita et moribus notitia mecum communicata, permiſerunt, vt de omnibus aeque libere et adcurate dicere et aperte ſentire potuerim. Neque tamen is ſum, qui, me, cenſeam, cunctorum hominum doctorum eſſe poſſe arbitrum: video enim, quid in tergo meo ſit manticae, neque in tanta omnium rerum imbecillitate et humanae naturae infirmitate ſuum cuique, atque adeo mihi attributum eſſe errorem, ignoro. At hoc adfirmare poſſum, me nihil amori, nihil odio, nihil inuidiae dediſſe, atque, quae ſentirem, (ſed enim me errare potuiſſe nullus nego) omnia libere, at verecunde ſcripſiſſe; quod quidem homines veri amantes, et humanarum ſuarumque virium conſcii, nec ſuis viribus, haud raro invalidis, ſuperbe confiſi atque intemperanter elati mihi ignoſcent. De delectu

vitarum quid dicam nihil habeo, ne aliquos offendere videar, et quaedam iam dixi in praefatione priori volumini praemiſſa. Hoc autem me praeterit, cur heroes quidam et vindices elegantiorum litterarum, neſcio num arrogantia quadam, an nimia verecundia moti, mihi diffidant, nec comperiri velint, quae illorum vitae, ſtudiorum et conſuetudinis ratio, quae munera publica, ingeniique ſint monimenta. Haec igitur abunde dixiſſe pro me mihi videor. Illa autem raritas bibliothecarum omni genere librorum inſtructarum, commutatio vitae et munerum et valetudinis imbecillitas, quae grauia impedimenta quidem ſupra commemoraui, in cauſſa fuerunt, cur nonnullorum ſummorum philologorum vitae, quae vero in ſequenti volumine non ita multo poſt comparebunt, me quidem inuito, ſint praetermiſſae, et cur hic tomus ſerius, quam volui, mecumque conſtitui, lucem adſpexerit, et in quibusdam denique vitis

recen-

recentiſſima deſint ſcripta, ſiquidem bona pars αὐτογράφου diu, et quaedam plagellae iam paene vltra annum apud typographum, procul noſtra vrbe, vbi nunc haereo, in Saxonia latuerunt inferiori. Mihi vero, vbi plus otii et tranquillitatis a Deo conceſſum eſt, omnia et citius et ſollertius curabo, quae et in hoc et in ſuperiori deſint volumine, quanta fieri poterit diligentia, ſupplebo, atque operarum emendabo errata, quibus tollendis praeeſſe non potui.

Vitam *Baumeiſteri*, viri cel. quem illuſtr. *Klotzius* mihi numquam ſatis laudare potuit, a clar. *Brieglebio*, mihi amiciſſimo, quocum Ienenſis ſocietas latina me copulauit, et Gottingenſis academia arctius coniunxit, homine probo, verecundo, modeſto, multi ingenii, promtae atque adcuratae eruditionis et doctrinae, optimaque fortuna digniſſimo eſſe deſcriptam, quilibet videbit. Atque tam TIBI, mi *Brieglebi*! de tam venuſto et

lucu-

iculento ingenii atque eruditionis no-
raeque mutuae amicitiae monimento;
uam mihi, quod precibus locum dediſti,
ratulor, TIBIque gratias habeo agoque
nfinitas. Me quidem numquam poeni-
ebit conſilii: nec TV habes, qui adeo
leganter, concinne et adcurate expo-
uiſti vitam *Baumeiſteri*, vt TE meliorem
rtificem et laudatorem vix reperire poſ-
et, quod TE aliquando poeniteat obſe-
quii. De eius quidem philoſophia, quae,
nouis inuentis et praeſtantiori, quorum-
dam ope, forma nunc induta, obſcurata
iam et paene obſoleta iacere dicitur, pe-
nes alios huius ſcientiae peritiſſimos eſto
iudicium: meae quidem partes non ſunt,
de tanti viri ingenio librisque temere ali-
quid pronunciare. Hoc vnum addo, id
quod ex *Klotzio* noſtro me accipere me-
mini, *Vockerodtium*, ſagacem illum inge-
niorum arbitrum, his eum, academias
petentem, dimiſiſſe verbis: *ſi eris bonus,
eris optimus; ſi eris malus, eris peſſimus*.
qui-

quibus etiam verbis vſus eſt *Baumeiſterus*, quum *Klotzius* Muſis Görlicenſibus vale diceret vltimum.

Supereſt, vt me meaque conamina TIBI, L. B. commendem, veniamque cum breuitatis tum tarditatis implorem, quam quidem facile me confido impetraturum, nec dici mihi diem mulctamque irrogari arbitror. Supplementis quoque addendis, pluribusque, quae reſtent, perſequendis, diutius immorari nequeo, quia haec ſcribens otio non abundo, occupatoque litterae inſtant typographi. Vale, L. B. mihique fave. Scrib. Coburgi Poſtrid. Cal. Sextil. CIↃ IↃCC LXVI.

M. THEOPH. CHRISTOPH. HARLES,

P. P. O. Eloquentiae et Graecae linguae et bibliothecae Gymnaſii noſtri academici Praefectus.

M. IOANNIS CHRISTIANI BRIEGLEBII

EPISTOLA

AD

VIRVM CELEBERRIMVM ATQVE EXCELLENTISSIMVM

M. THEOPH. CHRISTOPH. HARLESIVM

PROFESSOREM PHILOSOPHIAE ERLANGENSEM

DE

VITA MORIBVS ATQVE STVDIIS M. CHRISTIANI FRIDERICI BAVMEISTERI

AVGVSTI GYMNASII GORLICENSIS RECTORIS ET SOCIETATIS LATINAE IENENSIS COLLEGAE HONORARII.

Digitized by Google

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

A [illegible]

Digitized by Google

VIRO EXCELLENTISSIMO

THEOPHILO CHRISTOPHORO HARLESIO

S. D. P.

IOANNES CHRISTIANVS BRIEGLEBIVS.

Ergo vero mirifice ſum delectatus amore erga me TVO, qui omnibus ex partibus in iis litteris ſe oſtendit, in quibus me es adhortatus, vt ſcriberem aliquid atque excuderem, quod meum eſſet perpetuo. Qua igitur excuſatione ſaepe apud TE vſus ſum, hodie non vtar. Vitam *Chriſtiani Friderici Baumeiſteri* paullo accuratius ſcripſi, vt, ſi tanti TIBI videretur, iis, qui aliquam cupiditatem haberent notitiae clarorum virorum, proponeretur, quoniam id TE maxime velle perſpexeram, et, quum negare ei, quem vnice diligerem, cuique me cariſſimum eſſe ſentirem, durum admodum videretur, iam dudum polli-

citus eram. An vero operae pretium fecerim, qui de eius viri vita, moribus atque ſtudiis expoſuerim, quem ex libris plurimi norunt, penitus inſpexerunt pauci, eorum eſto iudicium, qui et de litteris et de ingeniis iudicare poſſunt, TVque ipſe multo magis exiſtimabis ex iis, quae poſtea a me dicentur. Equidem operam dedi diligenter, vt neque TE conſilii poeniteret, neque me obſequii, quod qua ratione aſſecutus ſim vel potius aſſequi ſtuduerim vt plenius cognoſcas et accuratius, de inſtituti mei ratione ſic habeto. Primum TV quidem, qui me noſti, mihi facile credes, in omnibus veritatem vnam tamquam ducem ac paene Deam me mihi propoſuiſſe, ceteri admonendi videntur. Nihil dedi amori, nihil odio, nihil inuidiae; quae ſentirem, omnia libere ſcripſi, ita tamen, vt laedere quemquam nollem; neque in eo elaborauit opera noſtra, vt perfecti eruditi, poëtae, oratoris aut humanitatis doctoris imaginem exprimerem, in quo fefelliſſem lectores fortaſſe cum delectatione aliqua, at nolui laudes affingere homini, qui abundaret ſuis, quod *Baumeiſterum* ipſum ita interpretaturum eſſe confido, vt, ſi aliter feciſſem, humanitati eius atque verecundiae iniuriam feciſſe merito exiſtimarer. Quum artificium, elegantiam atque venuſtatem a toto hoc ſcribendi genere abeſſe viderem,

quae

quae profecto in hoc ingenium atque in hanc aetatem non cadit, multo etiam magis elaborandum putaui, vt omnibus, quae ſcriberem, fides conſtaret, ratio atque integritas, quod non difficile fuit cupienti propter eas cauſſas, quas commemorabo. Primum *Baumeiſterus* ipſe et precibus meis et ſuo in me amori hoc dedit, vt commentarium de rebus ad ſe pertinentibus ad me mitteret. Deinde diligenter quaeſiui ex iis, qui diu multumque cum eo verſati, qualis eſſet, non ignorarent, quae ad eius vitam pertinerent declarandam. Neque oblitus ſum, quae pater meus, qui per decem annos collega cum ipſo familiariſſime vixit, mihi ſaepe memoriter atque iucunde de eo narrare ſolitus eſt. His omnibus vſus ſum pro meis. Atque vtinam TV quoque inter legendum tantum caperes voluptatis, quantum ipſe inter ſcribendum percepi! Obuerſabatur mihi imago hominis honeſtiſſimi, quae, dici vix poteſt, quantum animum hiberni temporis taedio languentem excitauerit. Nunc vero, ne longius progredi videatur oratio, de vita *Chriſtiani Friderici Baumeiſteri* exponam.

Natus igitur eſt CHRISTIANVS FRIDERICVS BAVMEISTERVS anno huius ſaeculi nono menſe Iulio in agro *Gothano* (*Groſſen-Koernern* incolae locum dicunt) patre

patre *Ioanne Dauide*, illius loci ſacerdote, matre *Martha Sabina* e gente *Franckia*. Non eget imaginibus noſter, poſteritati ipſe imago futurus. Sed ſi egeret, commemorandi eſſent in maioribus eius *Caſpar Peucerus*, huiusque ſocer magnus ille *Philippus Melanchthon*. Ac pater quidem non natura minus quam voluntate et animo bonus pater fuit. Nam non modo eum in ludo domeſtico iis litteris inſtitui iuſſit, quibus puerilis aetas formari ſolet ad humanitatem, ſed etiam domi ipſe eum erudiuit. Erat autem in eo litterarum elegantiorum et philoſophiae illius ſcholaſticae non leuis cognitio, artis autem poëticae inprimis latinae tantum ſtudium, vt ad hanc laudem filium cohortaretur magnopere. Qui quum animaduerteret teneritatem quamdam et mollitiem ingenii puerilis, quae facile, quicquid ſuſciperet imprimere, reciperet, vſus eſt hoc aetatis bono, et liberalitatem naturae omni modo ſuſtentauit. Sic domi inſtitutum tradidit eum poſtea (1722) praeceptoribus Gymnaſii Gothani erudiendum, qui tantum non omnes eo tempore non modo eximia litterarum ſcientia praediti, ſed etiam miri fingendae indolis puerilis artifices erant. Audiuit igitur *Reichardtum*, *Leſchnertum*, *Fiſchbeckium*, *Vockerodtium*. Ac *Reichardtus* quidem litteras hebraicas et vero etiam Syriacas eum docuit, *Leſchnertus*

mortuus hiſtoriam litterariam et litteras latinas. Philoſophiae iam tum diligenter operam dedit, formulariae illi atque ſcholaſticae, qua tum docti homines cenſebantur, legitque ſedulo *Stahlii*, *Hebenſtreitii* atque *Meiſneri* de philoſophia libros, ex quorum tamen lectione ſe multum profeciſſe in commentariis ad me miſſis profitetur. In *Fiſchbeckio* promta erat atque parata doctrina, Graecarum et Latinarum litterarum non mediocris ſcientia, tanta autem in docendo ſuauitas, vt, qui eo duce in litteris non proficeret, eum aut egregie ſtultum aut nauiter pigrum eſſe oporteret. Qui quum e *Schurzfleiſchii* diſciplina prodiiſſet, in cuſtodienda latini ſermonis caſtitate maxime religioſus erat, atque inprimis exquiſito elegantiae in ſcribendo iudicio valebat. Hic primus *Baumeiſterum* noſtrum ad elegantiorum litterarum ſtudium diligenter eſt adhortatus et pectus illius magno earum amore impleuit, hic illi in clariſſimorum priſcae aetatis ſcriptorum ſocietatem adducto eos fontes oſtendit, vnde expleret ſitientem animum, hic denique orationem eius limae ſuae ſeueritate expoliuit, atque ita bene, ſi quisquam, meritus eſt de illo. *Vockerodtius* autem ea tum floruit nominis fama, vt ad hunc audiendum magni vndique fierent concurſus. Magnae vir erat et accuratae doctrinae, et bonus inprimis praeceptor. Vtebatur autem variis artibus, vt accenderet

aemulationem, qua ali ingenia maxime putabat. Saepius ille ex ſingulis diſcipulis quaerere, quem legerent auctorem, et quomodo, quid in vſum ſuum inde reponerent, quam rationem in illo imitando ſequerentur. Tum conſilia ſuppeditare, ornare diligentes, vituperare ignauos, atque illud etiam lege ſancire, vt alii ab aliis docerentur, quod maximae vtilitati fore putabat, cum illis, qui diſcerent maturius ea, quae ipſi percepiſſent, cum aliis communicare, tum his, qui, quum docerentur, et tempori et ſumtui parcerent. In interpretandis veterum monimentis cura illius eo potiſſimum ſpectabat, vt cognitas veterum virtutes ſuas facere diſcerent diſcipuli, maxime alienus ab eorum conſuetudine, qui captandis minutiis et inueſtigandis res maximas praetermittunt. Itaque ſalutari quadam feſtinatione ſuos ſecum feſtinare cogebat, hortatus diligenter, exercerent ſtilum, ſaepe ſcriberent oratione numeris vincta, ſaepe ſoluta. Huic igitur carus inprimis fuit *Baumeiſterus*, in quo iam tum egregia indoles effulgebat. Itaque eum non modo ſolito maturius ſelecto ordini adſcripſit, ſed etiam eum aliquando egregium iuuentutis ſcholaſticae doctorem futurum eſſe vere praedixit. De his duobus praeceptoribus nonnulla dicenda putaui, quo magis appareret, quos *Baumeiſterus* noſter auctores ſit ſecutus, et quomodo quae ſingulos ſingulae com-

commendarent ingenii dotes docendique artes in ſe coniunxerit, et vel ſic quoque praeceptores aut aequauerit aut ſuperauerit.

Iam appropinquabat tempus, quo ſtudiorum ſcholaſticorum curſu confecto in academiam proficiſcendum videbatur. Quum vero ibi ſe honeſte uiuendi facultatem habere vix videretur, immortaliter de eo, qui de plurimis aliis, meritus eſt *Erneſtus Salomo Cyprianus*, qui, quum ipſe filios non relinqueret, animo in eos paterno fuit, quos pauperes a parentibus relictos litteris aliquando non dedecori, reipublicae vſui futuros eſſe prouideret. Hic igitur talis tantusque vir, quum forte *Baumeiſteri* ingenium, mores atque ſtudia noſſe coepiſſet, lautum ipſi ſtipendium impetrauit, quo tenuitas fortunarum ſubleuaretur, atque omni modo prouidit, ne quid ipſi ad bene viuendum in academia deeſſet. *Baumeiſterus* contra ſancte pollicitus eſt, ſe in iis litteris operam atque ſtudium collocaturum eſſe, quae ipſum bonum humanitatis doctorem efficere poſſent. Miſſus igitur eſt *Ienam* a. 1727. Audiuit *Buddeum* theologum, *Syrbium* atque *Walchium* philoſophos, *Stollium*, *Buderum* atque *Schmeizelium* hiſtoricos, *Tympium*, qui litteras hebraicas profitebatur, atque *Kromayerum* egregium humanitatis doctorem. Incidit vero aetas illius in ea tempora, quibus philoſophia

celebrari coepit, quae a *Wolfio*, qui primus rationem mathematicorum ad philoſophiae ſtudia transtuliſſe putatur, nomen habet. Quod in rebus nouis accidere ſolet, tum quoque accidit. Varia erant hominum ſtudia multumque diſtracta iudicia. Diſcipuli auide audiebant nouos doctores, magnoque ſtudio ad nouam illam diſſerendi rationem cognoſcendam ferebantur. Magiſtri autem, quum rationibus vincere non poſſe viderentur, expediebant in illos viros arma omnia, quae ignorantia, inuidia atque odium poſſent miniſtrare. *Baumeiſterus* igitur, diligenter admonitus ante, quam *Ienam* diſcederet, caueret ſibi, ne quid ex illa contagione vitii traheret, *Wolfii* enim doctrinae virus ineſſe neſcio quod, primum nullo modo, ne precibus quidem atque admonitione amicorum ad hanc nouam diſſerendi rationem cognoſcendam adducitur, neque ab odio aduerſus philoſophiam *Wolfianam* concepto abalienari poteſt. Poſtea vero quum caſu factum eſſet, vt veluti per ludum atque iocum audiret *Io. Henricum Koehlerum*, capitur viri perſpicuitate atque accurata doctrina, legit *Wolfii* libros ac relegit, quae illi tribui meminerat, impia praecepta non inuenit. Operam igitur dat diligenter *Koehlero*, *Reuſchio* atque *Carpouio*, qui principes illa aetate illius diſciplinae philoſophorum habebântur, et quanto antea contemtu proſecutus erat philoſophiam *Wolfianam*, tanto nunc

ſtudio

ſtudio atque amore eam amplectitur. Fama de ea re in patriam perfertur. Iubetur *Baumeiſterus* relicta vrbe *Vitembergam* ire. Paret et audit *Vitembergae* (a. 1729) *Vernsdorfium* theologum, *Bergerum* humanitatis profeſſorem, *Hollmannum* atque *Schloſſerum* philoſophos atque *Veidlerum* mathematicum, cuius etiam hoſpitio vtebatur. Frequentauit etiam ſcholas *Haferungii*, *Schroeeri* et, quem modo nominaui, *Schloſſeri*, quibus ducibus diligenter diſputando ſe exercuit, vnde plurimum doctrinae ſe retuliſſe profitetur. Ipſe enim ſaepe inferior diſcedere, quam ſuperior maluit, quod ratione victus falſis opinionibus liberaretur, ſi quas animo comprehendiſſet; vbi vero vinceret, eo victoriae genere delectabatur, cuius fructus veritatis cognitio eſſet, non ambitio triumphi.

In omni autem ſtudiorum curſu haec ipſi propoſita erant, vt non modo diſceret bene et accurate cogitare, ſed bene cogitata etiam diſerte eloqui. Cuius quidem ratio mihi valde videtur laudanda. Tulit etiam diligentiae atque virtutis fructus. Iubetur enim honores doctoris philoſophiae atque liberalium artium capeſſere. Capeſſit (a. 1730) publice diſputat ex more inſtitutoque maiorum de nonnullis praeceptis, quae recentioris philoſophiae propria videbantur. Docet philoſophiam, docet litte-

litteras latinas atque hebraicas, et auditur diligenter, ſaepe pro concione ſacra verba facit, ſcribit, inclareſcit, et magnus in ciuium oculis eſſe coepit. Recipitur, vt tanto ingenio tantaeque virtuti honos habeatur, in ordinem philoſophorum. (a. 1734.) Quo magis elaborat, ne tanto honore indignus videatur. Maior in dies fama eius eſſe coepit, maiores ad eum audiendum concurſus facti, adeo, vt, poſtquam Cel. *Hollmannus Gottingam* eſſet vocatus, quam etiam nunc ornat, ornetque precor cum bonis omnibus litterarum cauſſa diu, nonnunquam ducentos et amplius haberet auditores, quod vt in illa academia iisque temporibus exemplum admodum rarum fuit. Miraberis profecto, mi *Harleſi*, quum acceperis, quibus ille artibus effecerit, vt tantus eſſet audientium numerus. Certis auctoribus comperi, quae dicturus ſum, ac neſcio, an dicam, ſed dicam tamen. Primum non cogebatur, quoties docendi tempus appropinquaret, indicibus atque lexicis miſere fatigandis immorari. Vbi conſederat ad docendum, non confidebat chartulae, neque docendi munere huic permiſſo lectoris partes ipſe agebat. Non erat contumelioſus in eos, quos a ſe diſſentire cognouerat, non ſtudebat verborum obſcenitati, non iocis, quibus riſus excitaretur, non aucupabatur ſeruili obſequio beneuolentiam ſtudioſorum litterarum, quamuis vnicuique obuius

eſſet atque expoſitus; neminem iudicio ſuo contemnebat in ſententiis defendendis, ſe quoque hominem eſſe reputans, neque vlli vmquam infamiam iactandis Spinoſismis, Fataliſmis et neſcio quibus inuidioſis nominibus adſpergere tentauit. Erat autem mira in eo iucunditas atque alacritas, quae omnem docendi moleſtiam abſtergeret, et mirum, quo caperentur iuuenum animi, artificium obſcuris rebus, horridis atque incultis lucem, ſuauitatem atque elegantiam praeſtandi. Magna tum ſpes erat, fore, vt *Baumeiſterus* noſter in academia altius eueheretur, ſed aliud accidit, quam putarat. Sub id tempus decretum erat a Senatu *Gorlicenſi*, vt, *Groſſero* aetate confecto, alius Gymnaſii regundi curam ſuſciperet. Petierunt igitur ab *Erneſto Guilielmo Bergero*, cuius magna erat auctoritas, quem tanto muneri praeficerent, ſibi commendaret. Tum vero *Baumeiſterus* a *Bergero* commendatus atque a *Gorlicenſibus* accitus non recuſauit ire, quo diuini numinis prouidentia eum vocaret. Vale dixit igitur *Vitembergenſibus*, quibus admodum carus fuit atque iucundus, et profectus eſt *Gorlicium* a. 1736. vbi non modo omnes ingenio atque doctrina, quam ſine oſtentatione paedagogica proferebat, et morum elegantia atque vrbanitate cepit, ſed etiam tanta cum dignitate vixit, vt Senatus per litteras *Bergero* gratias ageret, quod ipſi commendato *Baumeiſtero* officium praeſtitiſſet

tiſſet fidele atque felix. Accidit etiam vt publicis complurium populorum litteris euocaretur alio. Vocatus eſt autem *Geram*, deinde *Stadam*, poſt *Coburgum*, tandem *Miſniam*, vt Gymnaſiis praeeſſet. Hunc *Vitembergenſes* Profeſſorem Logices atque Metaphyſices, *Erlangenſes* autem T V I ſacrarum litterarum doctorem eſſe voluerunt. Ipſe autem nullis quamuis lautis conditionibus ad ſedem alio ferendam induci potuit. Quo magis veriſimile eſt, fore vt conſtitutae ſemel ſedi ad mortem vsque adſtrictus teneatur.

In matrimonium duxit a. 1736. *Ioannam Euphroſynen Fridericam*, *Haferungii Vitembergenſis* theologi filiam, cum qua coniunctiſſime amantiſſimeque vixit, viuitque adhuc. Multa ſunt, quae illam marito amabilem reddant, ſoli marito placendi ſtudium, comitas mira, liberalis liberorum educatio, rei familiaris adminiſtratio plena ſcientiae atque honeſtae parſimoniae. Ex ea nati ſunt filii decem, filia vnica, quae pulchra corpore, animo pulchrior nupſit *Behrnauero* ICto. Ex filiis ſuperſtites ſunt VI. quorum natu maximus artem medicam magna cum laude exercet *Gorlicii*; Secundus ab eo *Lipſiae* honoribus Doctoris Philoſophiae eſt ornatus, reliqui in Academia et Gymnaſio in litteris verſantur ita, vt excellant.

Cariſſimi ſui cuique liberi, cariſſimi bono praeceptori ſunt diſcipuli. Felicem *Baumei-*

ſterum,

ſterum, eos nactum diſcipulos, qui eum mori non ſinent. Prodierunt autem ex diſciplina eius homines ingenio atque doctrina praeſtantes, moribus elegantes, reipublicae vtiles. Neque mirum cuiquam videri debet, non finitimas modo, ſed externas etiam gentes ex remotis *Pannoniae*, *Daciae* aliisque disiunctioribus terris ſobolem ſuam *Gorlicium* miſiſſe, *Baumeiſteriana* diſciplina excolendam. Ne vero longior ſim, quam neceſſe eſt, vnico vtar exemplo. Noſti *Klotzium*, illud litterarum ornamentum, quamquam quid dico TE noſſe *animae dimidium* TVAE? Hunc igitur *Klotzium* ipſe *Erneſtius* in ea ciuitate, ad quam tamquam ad bonarum artium mercaturam iuuenes ingenio doctrinaque praeſtantiſſimi confluere ſolent, tantum litterarum in Academiam attuliſſe, adfirmauit, quantum, quod ipſe quidem ſciuerit, neminem alium. Ac ne quis amicitiae cauſſa mentiri me putet, teſtem habeo locupletiſſimum, *Io. Fr. Eckhardum*, Gymnaſii *Iſenac.* Directorem, qui haec ex diuino *Erneſtii* ore ſe accepiſſe mihi narrauit praeſenti. *Klotzius* autem ipſe cum ſaepe alias in familiaribus colloquiis tum publice eſt profeſſus, quantum debeat diſciplinae *Baumeiſterianae*. Atque hic homo naturae ipſius habitu prope diuino ſine doctrina fortaſſe eruditus fuiſſet. Quum vero ad naturam eximiam accederet ratio confirmatioque doctrinae *Baumeiſterianae*, praeclarum illud

iudiret ſingulare ingenium exſtitit, et magnus ille animus, excelſus, inuictus et ſupra res humanas elatus. Si quis vero eſt, qui ex vno de pluribus me iudicari velle exiſtimet, is legat indicem diſcipulorum, quem *Baumeiſterus* ipſe edidit, vt intelligat, plures non modo Comites, Equites alioſque ſummo loco ortos illi operam dediſſe, ſed etiam plurimos variis muneribus ornatos, reipublicae vtilitati atque ornamento eſſe.

Sit igitur haec vitae *Baumeiſterianae* deſcriptio, breuis illa quidem, vt ſatietati legentium medear. Reſtat altera pars, in qua de ingenii animique facultatibus, de moribus atque ſtudiis eius, et ſi qua alia memoria digna erunt, agam, quod hanc hiſtoriae partem ad animi voluptatem certe iucundam, ad vtilitatem fortaſſe etiam fructuoſam fore arbitror. In qua tota ratione hanc mihi legem ſeruaui integram, primum, ne quid falſi ſcriberem, deinde, ne quid veri non auderem. In corpore igitur mediocris ſtaturae ea eſt frons, is vultus, qui primo ſtatim aſpectu amorem, beneuolentiam atque auctoritatem ipſi conciliet. Valetudine autem vſus eſt adeo bona, vt aegrotare ſe vix meminerit. Eſt igitur in eo memoria non contemnenda, iudicandi acumen tale, vt, quid in quaque re veri ſit, etiamſi reconditum ſit atque abſtruſum, facile perſpiciat, ingenium vero excellens et ad omnem elegantiam a natura factum, quod

ipſe

ipſe humaniorum litterarum ſtudio expoliuit. Horum ſtudiorum elegantiae adiunxit philoſophiae ſeueritatem. Plurimum ipſe *Wolfio* tribuit, quem aetatis noſtrae principem philoſophorum appellare non dubitauit. Itaque nulla eſt philoſophiae illius pars, quam non ſtudioſe ſit perſcrutatus. Phyſicen quoque attigit. Bene autem meritus eſt de hac philoſophia, quod eam elegantem reddere ſtuduit, ſi forte elegantiori ornata veſtitu poſſet plures ſui amatores inuenire. Quos enim de philoſophia ſcripſit libros, eos non modo argumenti dignitas commendat, ſed venuſtas etiam orationis quaedam atque elegantia, quae, quo minus ſaepe in philoſophorum noſtrorum ſcriptis inuenitur, eo plus laudis ipſi conciliauit. Quo factum eſt, vt legantur eius libri, quibus nihil vtilius eſſe poſſit diſcentibus, non modo in Germania, ſed etiam in finitimis regionibus. Ceterum de philoſophia illius melius ſcripturum me eſſe puto, ſi, qualis non ſit philoſophus, dixero potius, quam qualis ſit. Aio igitur, eum alienum eſſe ab eorum errore, qui *Wolfium* tamquam Deum errare non potuiſſe ſibi perſuadeant, qui quidem quum pro illo libro, in cuius verba iurarunt, non pro veritate pugnent, contrarium ſentirent atque propugnarent, ſi ab ipſa pueritia in aduerſae partis caſtra eſſent compulſi. Idem vero multo magis alienus eſt ab iis, qui *Wolfio* bellum indixerunt, magno quodam eius flagitio,

 quod

quod nimium diſcendi ſtudioſis placeret, quorum plerique id agere videntur, vt aliena obtrectatione creſcant, et mature ad famam ſine multo labore perueniant. Neque eos probat, qui prae huius philoſophiae ſtudio alias omnes doctrinas contemnant, neque iis aſſentitur, qui nimio mathematicae rationis ſtudio eo ſtultitiae proceſſerunt, vt in ea ipſam neſcio quam ſapientiam et quaererent et inuenirent.

Orator non eſt, qualem *Cicero* informauerat animo, qualis fortaſſe nemo vmquam fuit, neque eſt, neque erit. Saepe tamen in funeribus honeſtiſſimorum hominum diſertum ſe probauit, ſaepe in cathedra, ſaepe pro concione ſacra, neque vmquam Auditores dimiſit, niſi liberaliſſima voluptate repletos. Commendat eum totius corporis habitus, geſtus, actio, cui primas et ſecundas et tertias *Demoſthenes* noſter tribuiſſe dicitur, et ipſius oris atque orationis ſuauitas. Oratio eius in iis libellis, quos docendi vel animi oblectandi cauſſa ſcripſit, eſt elegans atque ſatis caſta. De ceteris dicendi vel vitiis vel virtutibus is ego non ſum, qui iudicare vel poſſim vel velim. Leguntur a plurimis illius libri, qui in argumento diſſimili ita ſunt ſui ſimiles, vt, ſi quis vnum legerit, omnes legerit. Vitiorum ſi quod eſt, quod neque adfirmare neque refellere animus eſt, me quidem illo ita delectari fateor, vt *Alcaeum* naeuo in cari pueri articulo. Veterum pauci omnino

ſunt,

ſunt, quos non legerit. Ex iis vero, qui praecipue in deliciis atque amoribus ipſi ſunt, commemoraſſe ſufficiat *Ciceronem*, *Plinium*, *Curtium*, *Salluſtium*, *Horatium*, ex Graecis *Xenophontem*. Ex iis qui poſt reſtitutas litteras eleganter atque latine ſcripſerunt, amat in primis *Muretum*, atque *Io. Guilielmum Bergerum*, quem non minus ſibi ad imitandum propoſuiſſe videtur, quam veterum aliquem, quod etiam ipſi a nonnullis vitio verti intellexi.

Ipſe vero, quamuis *Bergerum* praeceptorem eximium parentis loco coleret, illud non dedit amori ſoli, ſed etiam dignum iudicauit propter praeclarum dicendi genus, quem imitaretur. Ac mihi quidem *Bergerus* litterarum cauſſa omnino mori non debuiſſe videtur his temporibus, quibus vix duo aut tres humanitatis Profeſſores inueniantur, *Bergeri* ſimiles.

Poëta dulcis eſt. Exſtant carmina illius latina, quae, puto, animi cauſſa compoſuit. Vernaculo ſermone verſus non fecit ante quam Gymnaſio *Gorlicenſi* praeeſſe coepit, vt haberent diſcipuli in hoc quoque litterarum genere aemulum vel potius exemplum.

Eam criticae partem, quae in eo verſatur, vt, demonſtratis cuiusque ſcriptoris vel vitiis vel virtutibus, hauſtis ex ipſis fontibus rationibus, ſenſum pulchri atque venuſti acuat, plurimum amat. Litteras hebraicas, quarum maximam vtilitatem eſſe in doctrina diuiniore ſibi

 per-

perſuaſit, iuuentutem ipſe docet, ac nonnumquam dimiſiſſe dicitur in academiam, qui ſtatim earum doctores eſſe poſſent.

Hiſtoriae et antiquitatis tantum tenet, quantum opus eſt ad explicanda veteris aeui monimenta, quod profecto plus eſt, quam multi opinentur harum rerum ignari. Qualis denique ſit theologus, ſi alia deeſſent argumenta, inde exiſtimari velim, quod *Erlangenſes* eum ſacrarum litterarum doctorem eſſe voluerunt. Neque enim de *Baumeiſtero theologo* ſcribere inſtitui.

Bellum numquam geſſit, quantum ego quidem ſciam. Fecit eum natura a iurgiis alieniſſimum, humanitas vero litterarum mitiſſimum eſſe iubet. Itaque ſi quem forte inuenit, quem non poſſit adducere, vt idem ſentiat ſecum, eum non modo non odit, ſed etiam errantem multo magis iuuat.

Scripſit varia, quae muneris ratio exigebat, vel bene de iuuentute merendi ſtudium ſuadere videbatur, eaque varii argumenti, quae vel ad emendanda inſtituta ſcholaſtica, vel ad explicanda philoſophiae praecepta, vel ad illuſtranda veterum loca, vel ad liberalem denique animi voluptatem pertinerent. Vbi vero ad ſcribendum ſe contulit, non molitur diu, ſed ſubito profligat, quae in manus hominum dare ſolet, atque in ea re ingenio atque natura plus valet, quam induſtria.

Sua

Sua igitur ſit laus ingenio atque doctrinae *Baumeiſteri*, vt, ſi vere et ex animo pronunciare licuerit, quae ſentiam, paucos quidem humanitatis doctores, ſed tamen aliquos ingenii doctrinaeque laude illi pares putem, docendi autem arte formandique iuueniles animos peritia quem illi comparem, inueniam omnino neminem. Quod ne arroganter dictum videatur, teſtes appello omnes, quibus ab illo ſuauiſſimo ore pendere contigit, quorum vnumquemque ea in re me conſentientem habiturum eſſe confido. Primum autem illud intelligi volo, neque ergaſtulum eſſe ſcholam illius, vbi virtus atque doctrina poenis atque verberibus infligatur, neque impurae mentis officinam, vbi ſpes impunitatis maxima ſit illecebra peccandi, ſed bonae mentis ſacrarium, muſarumque templum caſtiſſimum, vbi et virtutis et eruditionis aemulatio exerceatur.

Eſt enim eo in diſcipulos animo, quo patres in filios eſſe ſolent, tantamque auctoritatem iuſtitia conſecutus eſt atque bonitate, vt non modo praecipienti, monenti, atque etiam obiurganti et punienti, ſi quando triſtis illa et miſera veniat neceſſitas, libenter obediant diſcipuli, ſed nutum quoque eius ac vultum revereantur. In docendo ingenia bona curat inprimis, neque tamen eos negligit, quos ingenii vitio minus proficere animaduertit. Ne vero in his pereat tempus, quod praeclaris ingeniis prodeſſe

 poſſit,

poſſit, his ſolis inſtituendis horae quadrantem fere impertire ſolet, atque ita accommodare docendi rationem ingeniorum varietati, vt eodem tempore et alacritati conſulat et tarditati, illam incitet, hanc non retardet et frangat; nihilque ita reconditi habet, quod non et velit libenter et poſſit cum artium ſtudioſis communicare. Litterarum vero ſtudium iuuenibus ipſa litterarum ſuauitate commendare ſolet, quam vt ſentiant, ſingularis viri humanitas atque alacritas facile efficit. Quo fit, vt diſcendi voluptas illis videatur, non labor, vt nullum ſit ſcholae taedium, nulla commenta callide excogitata ad otium atque ignauiam impune fouendam. Multi autem fuerunt, qui tanto litterarum amore exardeſcerent, vt eos deinde a nimio litterarum ſtudio auocandos putaret. Atque etiam, quod raro fieri videas, hortari ſolet ſuos ad animum liberaliter recreandum, quo alacrior reſumtis viribus ad litterarum ſtudium redeat. Saepe ipſe egentibus aeris ſuppeditauit liberaliter, quo poſſent vti ad animum oblectandum, hominum dignitatem, ratus, non diuitiis, quae ſtultis ſaepe contingant, ſed ingenio, doctrina, animo eſſe metiendam.

Philoſophiae praecepta tam perſpicue tradit, tam ſuauiter, vt etiam quum perſuaſerit, perſuadere eum cupiant audientes. Eſt enim philoſophandi genus tale, quod varietate rerum et facilitate iuuentutem alliciat et ſine ſatietate detineat.

In

In explicandis veterum monimentis eum ita verſari puto. Primum curat, vt verba atque ſententias recte intelligant diſcentes, deinde vt de toto orationis habitu iudicare diſcant, de verborum delectu, eorumque dignitate et venuſtate, de naturali orationis pulchritudine atque vrbanitate, quae ſit, tamquam ſanguis per corpus, ita per totam orationem fuſa; ſtudetque eximias veterum ſcriptorum virtutes in clariſſima luce collocare, vt elegantiae quodam guſtu imbuantur, et quas admirari ſatis non poſſint virtutes, ad easdem paullatim conformentur; vt quid in ſententiis magnum ſit atque ſublime, quid pulchrum atque iucundum, quid ſubtile atque acutum ſentiant, vt delectentur, incendantur, attollantur, vtque motu ſcribentis pariter moueantur, quod difficile non poteſt eſſe homini, qui quos in aliis excitare velit ſenſus atque motus, iis plenum pectus ipſe habeat.

In inſtitutis diſciplinae Baumeiſterianae, quibus quo minus vtatur, nullis Senatus decretis prohibetur, in his igitur inſtitutis, quae nec omnia nec nulla recenſere animus eſt, haec porro numerauerim. Saepe ipſe praemia propoſuit iis, qui in certamine de ingenio atque doctrina ſuperiores diſcederent, quo mirifice iuuenum aemulantium ſtudia excitari ſolent, quibus cum praemia ipſa, tum multo magis honorifica praeceptoris de ſe iudicia expetenda videantur.

In laudando nec parcus eſt nec nimius. Atque etiam ſaepe laudibus effecit, vt laudandi viderentur, in quibus antea non niſi ſtudium et bonum animum animaduerterat. Vbi aliquem pauperem a parentibus relictum cognouit, quouis illum modo iuuare ſolet, commendare eum diuitibus, ſaepe e re ſua familiari ſuppeditare, ne ei cum inopia ſit confligandum. Nonnumquam omnium condiſcipulorum iudiciis examinari iubet libellos aliorum, vt alii de aliis iudicare diſcant. Ipſe eorum iudicia vel confirmat, vel additis rationibus refellit. Interdum, quae ipſe docuit, aliquem e ſuis euocatum alio quodam orationis genere explicare iubet, vt ceteris repetat, vt ſe animo attento fuiſſe oſtendat, vt proponere diſcat ipſe, quae didicit. Neque quidquam magis prouidere ſolet, quam, ne obſcura ſit ſuorum diligentia, ne ita ſe in litteras abdant, vt nihil poſſint deinde in lucem aſpectumque proferre. Solet ſuos quoque diſputando exercere, vt aliquam linguae latinae facultatem conſequantur, vt quid de quaque re in vtramque partem dici poſſit, intelligant, quod alios etiam in aliis ſcholis facere accepi, at ridicule ab iis fieri puto, qui neque rem, neque verba omnino intelligunt, quod multo aliter fit in diſciplina *Baumeiſteriana.*

Iubet etiam ſuos nonnumquam, quae legerint, quaſi aemulos ſcribere, lectisque conferre, ac ſedulo penſitare quomodo illi, quos aemulan-

mulantur, fere omnia melius ſcripſerint, quod cur faciat, intelligi facile poteſt.

Saepe cum praeclaris ingeniis ſe ipſum certamen inire, ſimulat, quo artificio incredibile eſt, quantum excitentur alacriores iuuenum animi.

Ac de moribus *Baumeiſteri* haec habeto. Magnifice de Deo et patefacta diuinitus Chriſtianorum doctrina ſentit; pietatem vero in Deum non in fronte ac vultu reſidere iubet, ſed in animo ac factis. Itaque ſi quando in eos incidit, qui demiſſo capite terram intuendo pietatem ore ac vultu prae ſe ferant, hos fere ridere ſolet. Gloriae, quae recte factis pariatur, ſi quisquam, eſt cupidus. Itaque etiam laudari ſe cupit, praecipue a laudatis viris, neque is eſt *Baumeiſterus*, qui, quis ſit, neſciat, nec illos magis, qui eum non admirentur, inuidos, quam qui laudent, aſſentatores putat. Elegans eſt in veſtitu omnique cultu corporis. Quae iucunde in ſenſus hominum influere ſolent, iis multum mouetur, vt iucunde viuat, natum ſe eſſe exiſtimans. Quo fit, vt, quum animum remiſit et a laborum ſeueritate ad otii hilaritatem deſcendit, mirificae ſit comitatis, atque in ſermonibus cum amicis plurimum vrbanitatis atque hilaritatis inſit, vt cum tali viro bonas horas non inuitus perdas. Eſt enim affabilis atque iucundus et iocatur venuſte atque liberaliter. Otii amantiſſimus eſt, vbi vero tempus poſcit, idem laboris patientiſſimus.

Mira ſagacitate aliorum animos explorat, temporibusque ſapienter vtitur. Mollis animus eſt et ad recipiendum iniurias et ad obliuiſcendum. Diuitias amare atque lucri cupidum eſſe parui animi atque exigui putat. Itaque liberalis eſt, minime ſuſpicioſus, quamquam deceptus eſt nonnunquam ab iis, a quibus non putarat, hunc tamen alios obligandi animum non remittit, obuius vnicuique et expoſitus, humanus erga diſcipulos, gratus erga bene de ſe meritos, pius in parentes atque praeceptores, cuius pietatis fructibus ſe diuinitus ornatum eſſe et meminit et libenter coram aliis praedicare ſolet. Multa enim ſibi in vita iucunde accidiſſe, quae numquam ſperaſſet, ſaepius ex praeſenti vitae periculo ſe ſeruatum eſſe, quae omnia diuinae prouidentiae cuncta melius, quam opinentur homines, gubernanti ſe debere putat. Tandem bonus et eſſe et videri vult.

Haec habui, Humaniſſime *Harleſi*, quae de vita, moribus atque ſtudiis C. F. *Baumeiſteri* ad TE ſcriberem, quae quidem ſi TIBI non diſpliçuiſſe intellexero, ſcripſiſſe me haud poenitebit; ſin vero — ſed abrumpam, ne mihi ipſe male ominari videar. Nos vero quum vna eſſe minus poſſimus, quam volumus, animorum tamen coniunctione iisdemque ſtudiis ita fruemur, vt numquam non vna eſſe videamur. Vale. Scripſi *Hardenbergae* prope *Gottingam* prid. Cal. April. CIƆ IƆCC LXV.

Noti-

Notitia programmatum, diſſertationum, carminum aliorumque ſcriptorum

a

M. FRID. CHRISTIANO BAVMEISTERO

editorum.

A. R. S. CIↃIↃCC XXX.

Vitembergae.

1 Poſitionum recens controuerſarum ex Ontologia collectio. 4to.

2 Poſitionum recens controuerſarum ex Pſychologia collectio ad publice diſputandum propoſita 4to.

CIↃIↃCC XXXI.

3 Progr. de ſtudiorum cultura per ſaltum. 4to.

CIↃIↃCC XXXIV.

4 Progr. de eruditis, qui ſenſa animi exprimere neſciunt, von Gelehrten, ſo es nicht können von ſich geben. 4to. ſaepius recuſ.

5 Diſp. de fallaci exſpectatione caſuum ſimilium maxime in praxi morali. 4.

6 De quaeſtione, num propria laus ſemper ſordeat. Diſp.

7 De ſtatu ſeruitutis moralis praecipuo felicitatis humanae impedimento Diſp. I.

8 De ſtatu ſeruitutis moralis. Diſp. II.

9 Diſſert. de lingua Hebraea maturius addiſcenda. 4to.

10 An philoſophus poſſit eſſe Atheus? Diſp. 4.

11 De

11 De argumento Wolfiano, pro exiſtentia Dei a mundi contingentia deſumto. Diſp. auctore Reſp. *Gerdeſio.*

12 De philoſopho bono Chriſtiano, auctore Reſp. *Clausnitzero.*

CIↃIↃCC XXXV.

13 Philoſophia definitiua. 4. Qui liber ſaepius etiam forma 8vo eſt recuſus.

CIↃIↃCC XXXVI.

14 Inſtitutiones philoſophiae rationalis, methodo Wolfiana conſcriptae. 8vo. Hae inſtitutiones iterum iterumque recuſae ſunt.

15 Inſtitutiones Metaphyſicae, iteratis editionibus correctiores.

Gorlicii.

CIↃIↃCC XXXVI.

16 Progr. de nimio antiquitatis nouitatisque ſtudio in philoſophando.

17 Progr. in funere M. Samuelis Groſſeri cum Trozendorfio comparati.

18 Die Abdankungsrede bei dem Leichenbegängniß Hrn. Rector Großers von den Pflichten eines Schulmanns.

CIↃIↃCC XXXVII.

19 Diſſert. de pruritu definiendi. 4.

20 Inſcriptio latina: pietas ſacro Ieſu ſepulchro ſacra.

21 Progr. de Παρευθύρσῳ, inſigniori orationis vitio.

22 Progr. de ſtudio latinitatis purae et elegantioris diligentius, quam vulgo fit, iuuentuti ſcholaſticae commendando.

23 Einladungsſchrift von der Glückſeligkeit derjenigen, ſo den Schulen wohlthun.

24 Progr. de religione Leibnitii.

25 Einladungsſchrift an dem Schuljubiläo des Herrn Funkens.

26 Ode gratulabunda honoribus Guntheri, Conſulis Gorlic. dicata.

27 Ode lat. M. Seidelio Rectori Laubanenſi devota.

28 Progr. per modum inſcriptionis, quo oratio in memoriam Groſſeri habenda indicitur.

29 Oratio panegyrica honoribus memoriaeque Groſſeri dicata.

30 Progr. de Satyricis infelicibus.

31 Commentatio II. de Satyricis infelicibus.

23 Einladung zu einem Schauſpiel an des Königs Geburtstage.

33 Einladung zu einem andern Schauſpiel: der Sieg der Tugend.

34 Progr. in funere praetoris Gerlachii de exilio mortis Leibnitiano.

35 Diſſert. de pruritu demonſtrandi.

36 Progr. de meritis Io. Henrici Koehleri in philoſophiam.

37 Hora mortis tremenda. Carmen lat.

CIↃ IↃCC XXXVIII.

38 Philoſophia recens controuerſa. Forma 8vo. Hic libellus ſaepius recuſus eſt.

39 Progr. An anima maneat poſt mortem in corpore?

40 Par nobile Iure conſultorum, Leyſeri et Heineccii, de humanitatis litteris optime merentium. Progr.

41 De theologis recentioribus, purae latinitatis vindicibus.

42 Ein Troſtſchreiben bei Gelegenheit eines ungewöhnl. Todesfalls von dem verborgnen Gott.

43 Progr. in luſtratione Gymnaſii: Recenſus operarum ſcholaſticarum.

44 Ein Troſtſchreiben von den Quellen der Zufriedenheit.

45 Progr. de Καλλωπισμῷ Barclaii.

46 Einladungsſchrift von der Unzulänglichkeit der Vernunft in Beruhigung des Gewißens.

47 Chriſtiani Wolfii vita et fata.

48 Progr. Singularia Bailii.

49 Graeca Ciceronis. Progr.

50 Einladung zu einem Schauſpiel von der Ehrfurcht gegen die Obrigkeit.

51 Progr. in ſolennibus Gregor. per modum inſcriptionis.

52 De purioris latinitatis ſcopulis caute vitandis.

CIↃ IↃCC XXXIX.

53 Progr. de cauſſis non nullis, cur tam pauci ad munia ſcholaſtica apti ex academiis redeant.

54 Progr.

54 Progr. de eo, quod in vita ſcholaſtica dulce eſt et iucundum.
55 Von den Urſachen, Aenderungen in den Schulen vorzunehmen. Einladungsſchrift.
56 Progr. in ſolennibus, honori ordinis Senatorii deuotis per modum inſcript.
57 Progr. Sententia Dodwelliana de animae immortalitate.
58 Progr. de Dictatoribus perpetuis ſcholaſticis.
59 Pr. de ſcholis diſſolutis.
60 De praelectionum Gymnaſii Gorlicenſis ratione.
61 Einladungsſchrift zu dem Schauſpiel: Telemach.
62 Von der Belohnung der Barmherzigkeit auf dem Krankenbette ad Pſ. 41, 2. 3. 4.

CIↃ IↃCC XXXX.

63 Triga Germanorum, de hiſtoria philoſophica optime meritorum. Pr.
64 De more veterum Quiritium ſcholaſticos finita recitatione oſculis excipiendi. Progr.
65 Von der Einrichtung in dem Görlitziſchen Gymnaſio, die Grundſprachen bald zu erlernen.
66 Hiſtoria doctrinae recens controuerſae de mundo optimo.
67 Progr. in ſolenni actu Syluerſt. per modum inſcript.
68 Ornamenta veterum Gymnaſiorum ad Cic. ep. ad Atticum l. I. ep. 6.
69 Progr. in actu ſenatorio per modum inſcript.

70 De

70 De Graeciſmis Salluſtii.

CIↃ IↃCC X X X X I.

71 De lecticulis lucubratoriis veterum Romanorum. Praemiſſa programmata et diſſertationes maxima ex parte collegit auctor, et vno volumine concluſit. Prodiit hic liber Gorlicii forma 4ta 1741. et inſcriptus eſt: Exercitationes academicae et ſcholaſticae.

72 De modo alios emendandi per exempla. Pr.

73 De pie philoſophandi ratione. Progr.

74 De docentium prudentia circa ingenia tardiora.

75 Progr. in actu ſenat. per mod. inſcr.

76 Progr. in ſolennibus Gregor. in forma inſcript.

CIↃ IↃCC X X X X I I.

77 Commentatio I. de iis, qui in ſcholis aliud agunt.

78 Comment. II. de iis, qui in ſcholis aliud agunt.

79 Comment. III. de iis, qui in ſcholis aliud agunt.

80 Progr. in actu Syluerſt. ſtilo lapidari.

81 Die Verſicherung des Gnadenſtandes, als das einzige Mittel wider die Furcht des Todes. Progr. funebr.

82 De cauſſis, cur doctiſſimus quisque non ſemper ſit doctor optimus. Progr.

83 De iuuenum in academiis a priſca virtute degenerantium corruptelis praecipuis. Progr.

84 De cauſſis Scholarum deſloreſcentium. Pr.

85 Diſputatio de agendi propoſito.

86 De

86 De eruditis, qui memoriae quam iudicio plus tribuunt. Von Gedächtnis-Gelehrten. Progr.

87 Memoria incendii, quo turris curiae coniuncta de coelo percuſſa fulminis ictu deflagrauit. Carmen eleg.

88 De praematuris inſtitutionis fructibus non temere exſpectandis. Progr.

CIↃ IↃCC X X X X I I I.

89 De inquinato et ſtrigoſo dicendi genere in recentiorum philoſophorum ſcriptis. Commentatio I.

90 De inquinato dicendi genere. Comment. II.

91 Progr. in actu Syluerſt. de munificentia Maecenatum.

92 Einladungsſchrift zu 2 Schauſpielen auf dem Raths-Chür-Actum.

93 Progr. in ſolenn. Gregor. Carmen lat.

CIↃ IↃCC X X X X I V.

94 De praecipuis orationis pulchrae virtutibus, Diſputatio.

95 Progr. in actu Syluerſt. Carmen lat.

96 De auctoritate docentium. Progr.

97 Weisheit und Gerechtigkeit, zwei Grundpfeiler, worauf ſich das Wohl des ganzen Landes ſtüzt. Einladung zu einem Drama.

98 Die Vermählung der Pſyche mit der Tugend; ein Singſpiel.

99 De praecipuis ciuilis eloquentiae adiumentis, ex hiſtoria petendis.

100 Progr. in actu ſenator. per modum inſcript.
101 In ſolennibus Gregor. Carmen lat.

CIↃ IↃCC X X X X V.

102 De nonnullis ingeniorum praeſtantium morbis. Progr.
103 De docendae diſcendaeque hiſtoriae in ſcholis via expedita et compendiaria. Progr.
104 Fortuna ratione conſilioque potentior. Pr.

CIↃ IↃCC X X X X V I.

105 De cautione philoſophi circa voces odioſas, Progr.
106 Die Macht und Güte Gottes bei hergeſtelltem Frieden ad Pſ. 46, 9. 10. 11. Progr.
107 Die von der Vorſicht nach Sachſen abgeſchickte Göttinn des Friedens. Ein Gedicht.
108 De veterum Theologorum ſcriptis ſanctioris litteraturae ſtudioſo diligentius, quam vulgo fit, legendis. Progr.
109 De orationis pulchrae virtutibus Comment. II.
110 Von dem Vaternamen der Obrigkeit. Progr.
111 Eine deutſche Einladungsſchrift auf die Raths-Chür.
112 De excitatius docentium adiumentis praecipuis. Progr.

CIↃ IↃCC X X X X V I I.

113 Elementa recentioris philoſophiae vſibus iuuentutis ſcholaſticae accommodata. Lipſiae 1747. forma 8va. Hic libellus ſaepius recuſus eſt.

Duplex

Duplex huius libelli dos eſt, quod non modo philoſophiae Wolfianae praecepta perſpicue atque eleganter tradit, ſed etiam pulcherrimis veterum, Terentii, Ciceronis, Liuii, Virgilii aliorumque locis, veluti ſtellulis eſt exornatus, vt vel ſic quoque appareat, indignos contemtu eſſe veteres, quo delicatuli noſtrae aetatis philoſophi eos proſequuntur. Qui, neſcio, quid ſibi propoſuerint, illud certe effecturi videntur, vt depulſam maiorum noſtrorum memoria barbariem in philoſophiam tamquam in veteres ſedes ſuas reſtituant. At ſperare licet fore vt hic libellus diutius memoria poſteritatis et fama floreat, aliis aliorum compendiis et ſyſtematibus eo delatis, vnde negant redire libros.

114 Scripta ludicra et iocularia ex manibus iuuentutis ſcholaſticae extorquenda. Progr.

115 Berechnung der Schularbeit. Progr.

116 De limando iudicio vique meditandi acuenda per veterum ſcriptorum lectionem. Pr.

117 Strategemata politica. Progr.

118 Progreſſio diſcendi, niſi animo tranquillato exſpectari nequit. Progr.

119 De erudito deliro. Ob man ſich überſtudiren könne? Progr.

CIƆ IƆCC XXXVIII.

120 De pruritu ὀνοματοποιΐας in ſacris. Progr.

121 De corruptelis ſcholarum opinatis. Progr.

122 De vitio ἀχαριστίας turpiſſimo. Progr.
123 De exercitationibus oratoriis Scenicis. Pr.
124 Oratio de diuerſis docentium dotibus, et inde oriunda ſcholarum felicitate.
125 Memorabilia Gorlicii. Carmen elegiac.

CIↃIↃCCXXXXIX.

126 De conuictione per ſaltum. Commentatio I.
127 De conuictione per ſaltum. Comment. II.
128 Oratio de concordia Martis et artis.
129 De mutuis officiis Maecenatum et litterarum. Progr. in modum inſcript.

CIↃIↃCCL.

130 Verzeichnis der Lectionen im Gymnaſio. Pr.
131 De paupertatis commodis. Carmen lat.
132 Anfangsgründe der Redekunſt.
Liber ſaepius recuſus.

Patrio hic libellus conſcriptus eſt ſermone, quo pluribus, credo, etiam parum doctis prodeſſet. Praecepta dicendi pauca ſunt atque perſpicua. Expreſſa primum oratoris imagine, quid ſit bene cogitare, declarauit A., deinde quae rhetores praecipere ſolent de verborum delectu, de periodi ſtructura, de dicendi virtutibus iuxta ac vitiis, de figuris orationis ornandae cauſſa, de conſcribendis orationibus atque epiſtolis, ea ſumma breuitate eſt complexus. Oratorem enim non tam rhetorum praecepta facere, quam pectus et ingenii bonitatem, accuratam veterum interpretationem vel lectionem, exercita-

citationis aſſiduitatem et conſtantiam, rationem denique ſobriae philoſophiae praeceptis excultam, et vere ſibi perſuaſit, et ſuis perſuadere ſolitus eſt, quos magna illa antiquitatis exempla intueri, admirari, imitari iubet. Neque tamen eſt ex iis, qui ita admirantur antiquos, vt contemnant et faſtidiant recentiores. Itaque dicendi praecepta non modo Ciceronis et Quinctiliani, ſed etiam eorum aemuli Rollini (atque Gottſchedii) auctoritate confirmauit, deditque illuſtria aetatis noſtrae eloquentia inſigni excultae exempla, vt, ſi de aliis ex me coniecturam facere liceat, neminem fore arbitrer, qui non iucunde adficiatur tot aliarum oratores gentium legens, quos conſuetudine principum, vſu legationum, ampliſſimorum procuratione munerum, ipſa ingenii exercitatione perpolitos publicae ſpecimina eloquentiae de vulgo exemerunt.

133 Carmen elegiacum in funere illuſtris de Loeben.

134 De meteoris inſtitutionis ſcholaſticae. Pr.

135 De ſcholis realibus. Comment. I.

136 De ſcholis realibus. Comment. II.

137 De ardore docendi innouando. Comment. I.

CIↃ IↃCC LI.

138 De ardore docendi innouando. Comment. II.

139 De pace cum Deo fonte laetitiae. Carmen lat. alterius nomine.

140 De emendationibus ſcholarum fruſtra tentatis.
141 De vitiis ex ipſo remedio natis. Comment. I.
142 De vitiis ex ipſo remedio natis. Comment. II.
143 Comparatio ſcholae et horti. Carmen lat.
144 Quaeſtiones difficiliores de praedeſtinatione. Diſputat.
145 De Scylla et Charybdi ſcholaſtica, Pedantiſmo et Galantiſmo. Carmen lat.
146 Einladungsſchrift von den Wohlthaten, ſo dem Gymnaſio erwieſen worden.

CIↃ IↃCC LII.

147 Einladungsſchrift von dem Verhalten treuer Lehrer bei dem verborgenen Segen ihrer Arbeiten.
148 Theſes controuerſae ex philoſophia. Diſp.
149 Einladungsſchrift von den Bewegungsgründen der Dankerkentlichkeit.

CIↃ IↃCC LIII.

150 De litteratura heroica. Progr.
151 De liberalitate illiberali. Progr.
152 Memoria litteraturae ante CCC. annos inſtauratae.
153 Einladungsſchrift: Erinnerung an die Eltern.
154 De nimio philoſophandi ſtudio in orationibus ſacris. Progr.

CIↃ IↃCC LIV.

155 Ordinis leges in humanioris litteraturae cultura obſeruandae. Commentat. I.

156

156 Ordinis leges in humanioris litteraturae cultura obſeruandae. Comment. II.
157 De myopia morali. Diſp.
158 Von den Lectionen des Görlitziſchen Gymnaſii. Progr.
159 Nobilitatis verae decora. Inſcript.
160 De Chriſtiani Wolfii educatione.

CIↃ IↃCC LV.

161 De rara ſocietate boni ingenii cum bona mente. Progr.
162 De delectu ingeniorum caute inſtituendo. Progr.
163 De cupiditate diſcendi in iuuenibus caute excitanda. Progr.
164 Pacis Auguſtanae cauſſae et commoda. Pr.
165 Kurzgefaßte Hiſtorie des Augſpurgiſchen Friedens.
166 Praemiine an poenae neglectus maiora reip. adferat damna? Progr.
167 Liſabona per motum terrae euerſa. Carmen ſapph.

CIↃ IↃCC LVI.

168 De Io. Sturmii meritis in ſcholas Germanorum. Progr.
169 De Graecorum ſcriptorum monimentis in ſcholis diligentius explicandis. Progr.
170 Elegia in funere fratris.
171 De cognitione ſolida Theologi. Progr.
172 De ſtipendiis Plinianis.

CIↃIↃCCLVII.

173 De inſtitutionis ſcholaſticae beneficio ciuibus obtrudendo. Progr.

174 Von der Weisheit und Gütigkeit Gottes bei den menſchlichen Schickſalen. Progr.

CIↃIↃCCLVIII.

175 De ingeniorum agiliorum morbis. Progr.

176 De opere operato docentium in ſcholis. Progr.

177 De opere operato diſcentium. Progr.

CIↃIↃCCLIX.

178 Sub auſpic. noui anni gratulatio ad ſenatum. Carmen eleg.

179 Elogium Chriſtiani Wolfii. Actis erudit. l. inſ. rtum menſe Auguſto.

180 Belli praeſentis deſcriptio. Carmen eleg.

CIↃIↃCCLX.

181 Gratulatio ſub noui anni auſp. ad ſenatum. Carmen lat.

182 Troſtſchreiben von der edlen Glaubensfreudigkeit im Sterben.

183 Oratio: memoria Melanchthoniana.

184 Verfaßung der untern Claßen im Gymnaſio.

185 De ſcholis clandeſtinis. Progr.

CIↃIↃCCLXII.

186 Triſtis memoria anni praeteriti. Carmen eleg.

187 De dono perſpicuitatis. Progr.

188 Euerſio Vitembergae per ignem. Carmen eleg.

189 Carmen gratulat. ad Excell. Conſ. Gorlic.
190 Elogium Frid. Aug. Mulleri, Prof. Lipſ.
191 Von der Liebe und Hochachtung, als dem Grunde der Treue der Sachſen gegen ihren Landesherrn. Progr.
192 Rede am Friedrichsfeſte von der patriotiſchen Theilnehmung an den Schickſalen des Vaterlands.
193 Oratio panegyrica memoriae Io. Matthiae Geſneri ſacra.

Immortalis erit ingenii Geſneriani memoria. Expreſſa imago eius duorum artificum manu, Erneſtii Lipſienſis atque Michaelis Gottingenſis, de quorum doctrina, ingenio atque meritis in rem litterariam ſi ita dicere vellem, vti par eſt, atque ipſe ſentio, ea mihi dicenda fore animaduerto, quae huius loci anguſtiae non capiunt. Deinde etiam memini me audire Ienae Cel. Klotzium de vita Geſneri in conſeſſu ſocietatis latinae, cuius ille profecto decus fuit atque ornamentum, elegantiſſime differentem. His ſe adiunxit Baumeiſterus, qui illius ingenii, illius virtutis cogitatione, et quodam pietatis magnis viris debitae ſenſu commotus ea dixit de Geſnero, quae, quantum doloris ex tanta tanti viri iactura percepiſſet, ſatis declararent. Contigit igitur Geſnero, quod neſcio an multis, vt, quum viuus ſummorum virorum amicitia floruiſſet, mortuus eos inueniret laudum

ſuarum praecones, qui maxime eſſent optabiles.

194 Verzeichniß derer, ſo vom Gymnaſio aus prima claſſe von a. 1736. auf Academien gegangen.

CIↃIↃCCLXIII.

195 Von dem Göttlichen in dem Hubertsburgiſchen Frieden. Progr.

196 Gaudia pacis redditae. Ode lat.

197 Vota pro reditu patris patriae. Ode lat.

198 Von der Gütigkeit dem weſentlichen Caracter eines Landesherrn.

199 Eine deutſche Einladungsſchrift bei dem Geburtsfeſte des Churprinzen.

CIↃIↃCCLXIV.

200 De emendationibus ſcholarum ex felici temporum reparatione ſperandis.

201 Von den Verdienſten der Vorfahren um die Nachkommen in Anſehung der Religion und Wißenſchaften. Progr.

202 Inſerta ſunt ſequentia den Oberlauſitziſchen Beiträgen.

1) Ob es zwei vollkommen ähnliche Dinge in der Welt gebe? 6 und 7tes Stück. P. I.

2) Vom Küchenlatein.

3) Die Geſchichte der Harmoniae praeſtabilitae.

4) Das Bild eines Raiſonneurs.

5) Von den hypotheticſchen Sünden.

6) Von den Geheimnißen in unſrer Seele.

7) Ob

7) Ob man aus der Erfahrung beweiſen könne, daß die Seele in den Leib würke?
8) Ob die Wolfiſche Philoſophie wieder fallen werde?
03 Deſcriptio montis prope Gorlicium, qui dicitur die Landeſcron (carmen lat. alterius nomine.)
204 In indicibus Dresdenſibus (Dresdner Anzeigen) reperiuntur ſequentes lucubratiunculae.
1) Die lange geſuchte endlich gefundene Seelenruhe.*
2) Ob der Caffee ein Hausdieb ſey?
3) Abriß einer galanten Schule nach der Mode.
205 Praefatio Tom. III. der Staatsgeographie praemiſſa.

IOANNES DAVID HEILMANN

S. S. Theol. Doctor eiusdemque in academia Gottingenſi quondam Prof. Publ. Ord. *

Weſtphaliam, in eaque vrbem nobiliſſimam *Oſnabrugum*, fertilem fuiſſe terram virorum, laude variae multaeque doctrinae excellentium, hiſtoria docet litterarum; atque Batavi multos aluerunt, atque adhuc alent homines mira litterarum peritia praeſtantes, qui Weſtphaliae ſuos debent natales. Noſtro quoque Oſna-

* Sequuti ſumus narrationem cl. *Kloſaii* in Act. litter. Vol. I. Part. II. pag. 232. ſqq.

Oſnabrugum contigit patria, vbi patre *Dauide*, viro honeſto, licet nulla neque dignitate, neque fortuna inſigni conſpicuo, d. 13. Ian. an. C. CIↃIↃCC XXVII. natus, litterisque imbutus eſt, praeceptore inprimis vſus *Godofredo Schwarzio*, tum Gymnaſii Rectore, nunc in Academia Rintelienſi Theologiae Profeſſore, cuius erga ſe amorem nunquam non valde laudauit, cum teſtificatione grati animi, quem in omni vita multis quoque modis praeſtitit. Hoc duce viam ad veram ſubtilemque eruditionem gloriamque non ſpernendam munire ſibi coepit, litteras manſuetiores cum ſeuerioribus rite coniungendo. Schwarzius tamen, quum adoleſcentem videret, amore theotiſcae poeſeos, et legendo ſcriptores in eo genere optimos, et componendis verſibus raptum et procliuiorem, quam pro condimento grauiorum ſtudiorum fas eſſet, hunc ardorem, quo, ſi quis nimium quantum flagrat, ab optimis et neceſſariis litterarum ſtudiis ad ludicra nec aeque ad metam ſuam obtinendam idonea auocatur, reprimere potius quam inflammare ſtuduit, eaque cohortatione effecit, vt *Heilmannus* deinde plus temporis tribueret litteris reconditis, et licet amor poetices, ſaltim poetarum in animo eius nunquam deleretur, parce tamen ad carmina pangenda adcederet. Litteras quoque graecas, quarum adcurata peritia magnam ſibi poſtea peperit laudem, tunc amare coepit, quem amorem lectio Heliodori pri-

primum inſtillaſſe videtur, id quod ex ſermonibus, quos cum eo, quum Gottingae litterarum cauſſa verſarer, faepius habui, coniectura aſſequi licet. Equidem quum *Heilmannum*, virum humaniſſimum, frequenter adirem, de variisque iisque cumprimis rebus, quae ad litteras humanitatis pertinerent, et inter alia, de vanis nonnullorum conſiliis, libros, in quibus ineptiae amoresue decantantur, aut eripiendi e manibus adoleſcentulorum aut amputandi, diſſererem, meinini eum dicere, ſe hominem noſſe quemdam, quem famae litterarum graecarum non poeniteret, quemque ſe ſcire, lecta verſione Heliodori latina, deſiderio flagraſſe, graeca quoque legendi atque intelligendi, arbitrantem, in verſionem latinam omnia non aeque venuſte et concinne eſſe translata: omnem igitur operam in intelligenda oratione graeca poſuiſſe, quo effecerit, vt amore deliciarum graecarum poſtea immenſo captus, vſuque frequenti confirmatus, promtam quamdam atque adcuratam illarum peritiam ſibi adquireret: quod quum verecunde diceret, mihique monenti atque roganti, vt nomen viri illius indicaret, blande recuſaret, illum ipſum fuiſſe, inde me non inepte coniicere autumo.

Hanc litterarum ſitim Halae Saxonum, quo 1746. contulit ſe, audiendis clariſſimis doctoribus, optimisque legendis libris alere ſtuduit. Adiit igitur *Meyerum* et *Kriigerum* vniuerſae

philo-

philoſophiae et matheſeos, quam olim puer valde amauit, cognoſcendarum cauſſa: *Knappii* autem et *Chriſt. Bened. Michaëlis* ſcholis interfuit, vt apud illum partes quasdam diſciplinarum ſacrarum, apud hunc autem orientales litteras diſceret. Praecipue autem ſequutus eſt *Baumgartenium*, de cuius ingenio, ampliſſima et varia eruditione, ſanctitate, fide atque humanitate, tam pie tam religioſe ſenſit et loquutus eſt, quam filius gratus de patris virtutibus ſentire et loqui ſolet. Quum in aedibus Baumgartenii domicilium haberet, ita quotidiano paene vſu et conſuetudine in viri huius poſt fata quoque immortalis familiaritatem inſinuauit, vt admitteretur in procurationem bibliothecae, a Baumgartenio immenſis ſumtibus inſtructae, et nouis in dies incrementis auctae, quae nunc ſectione publica venditur et diſſipatur. Non multo poſt venit in ſocietatem eorum, qui ſymbolum conferrent ad libros quosdam ſub auſpiciis Baumgartenii ſine e lingua Anglica et Gallica in patrium ſermonem translatos, ſiue in quibus libri, vel raritate vel caritate pretioque non vbinis obuii, recenſentur. Ita *Heilmanni* diligentiae debemus complurium librorum cenſuras in *Nachrichten von einer Halliſchen Bibliothec* inde a P. IV. et *Nachrichten von merkwürdigen Büchern* vſque ad P. V. deinde verſiones nonnullarum partium Hiſtoriae vniuerſae in Anglia ſcriptae, et Niceronianorum commentariorum.

Hic

Hic quoque cum cel. *Semlero*, ornamento nunc Academiae Halenſi ſuique ordinis, contraxit amicitiam, quam, quum in eadem habitarent aede, earundem litterarum amore ſitique excitatam, mutua officia confirmarunt, et Hala relicta, idem virtutis et doctrinarum ardor ſeruauit et auxit. Patris enim mors litteraeque ſenatus Hamelienſis, quibus munus rectoris ſcholae offerebatur, auocarunt noſtrum Hala, vbi octo annos in ſtudiis iucundiſſime conſumſit.

Primum autem illud munus publicum, quod anno 1754. adiit, non admodum diu geſſit, quum poſt biennium in patria ſua Oſnabrugi, ſucceſſor *Strodtmanni*, viri docti et adeo induſtrii, vt mole laborum oppreſſus media paene et conſtanti aetate e vita decederet, honeſtiſſimis conditionibus inuitatus, nominaretur; quod munus eo libentius accepit, quum patriae eſſet amantiſſimus. Quam vero ſollerter, quam perite adminiſtrauerit prouinciam hanc ſuam, teſtes habeo diſciplinae eius quondam alumnos, ex quorum multis audiui, veteres eum auctores et graecos et romanos, non more vulgari ſcholaſtico aut more criticorum ſeuerorum explicuiſſe, ſed in explanandis illis ita verſatum eſſe, vt praeter latinitatem veramque vocabulorum ſignificationem, pulchritudinis naturalis reconditaeque ſapientiae, quam Orbilii aut arrogantes illi ſcholaſtici paedotribae neque ſentire, neque auditoribus oſtendere ſolent, et reliquarum virtu-

virtutum, quarum cognitione iudicium acueretur, expoliretur ingenium, humanitati que in animis igniculi quaſi et ſemina iacerentur, potiſſimum habuerit rationem. Ita vero noſtro hic ſatis commode viuenti, famaeque ſcholae et ore et ſcriptis ſedulo ſeruienti, euenit, vt praeter opinionem triplex offerretur conditio, eaque liberaliſſima. Theologi enim et Halenſes, et Helmſtadienſes et Göttingenſes in ſuum illum cooptare collegium decreuerunt, voluntate *Heilmanno* humaniſſime ſignificata. Auctoritate tamen academiae Göttingenſis eiusque ſtatoris et curatoris, perilluſtris Münchhuſenii commotus eſt, vt non diu incertus et haeſitans, quam academiam, ingenii ſui theatrum eſſe vellet, Göttingam deligeret, in eamque vrbem honoribus doctoris Theologiae, Rintelli a priſtino ſuo praeceptore *Schwarzio* antea ornatus, a. 1758. veniret. Neque tamen ſupremo numini viſum eſt, *Heilmannum* huic officio, in quo adminiſtrando quam dextre et diligenter verſatus fuerit, poſtea videbimus, diu praeeſſe, quum nimia litterarum cognoſcendarum libidine quadam correptus interitum, et academiae et litteris praematurum atque acerbum, ſibi pararet, morte beata d. 22. Febr. 1764. extinctus.

Sui tamen memoriam reliquit poſteritati gratam et bene recteque viuendo, et apte docendo et conficiendo libros eruditionis atque humanitatis pleniſſimos, quamuis in defenden-

dis

dis veritatibus chriſtianis a via regia interdum aberraſſe eoque famae ſuae labem quamdam, et maculam adſperſiſſe videretur. Atque vt monimenta eius ingenii noſcamus, indicem age! eorum ſubiiciamus. Halae Saxonum dum commoratus eſt, praeter memoratas cenſuras et verſiones edidit.

1. *Specimen obſeruationum quarundam ad illuſtrationem N. T. ex profanis pertinentium,* Halae 1748. 4. quo ven. Baumgartenio natalem diem gratulatus eſt.

2. Commentatio *de doctis extra patriam viuentibus,* 1749. 4. Gratulatio S. V. *Godofr. Schwarzio* deſtinata, cum Profeſſoris Theol. munus Rintelii capeſſeret.

3. *Traits de Parallele entre l'éſprit d'irreligion d'aujourdhui et les anciens adverſaires de la Religion Chretienne.* 1750. 8.

4. *Nath. Lardners Glaubwürdigkeiten der evangeliſchen Geſchichte, des 2ten Theils 2 u. 3. Band, aus dem Engliſchen überſetzt.* Berlin 1750. 8.

5. Commentatio *de auctoritate librorum N. T. apud Manichaeos.* 1750. 4. qua S. V. *Semlero* theologiae iam in alma Fridericiana P. O. philoſophicos olim honores gratulabatur.

6. *De Euangelio Matthaei apud Barnabam reperto.* 1751. ven. *Baumgartenio* dicatum.

7. Differt. *Conſecrationem ſanctorum apud Pontificios vſitatam ad ἀποθεώσεις veterum Romanorum*

norum efſictum oſtendens. Praeſ. *Baumgarten.* habita. 1754.

Hamelii atque Oſnabrugi ad munus ſcholaſticum admotus publici iuris fecit:

8. De *ſcholis priſcorum Chriſtianorum theologicis.* Progr. quo Rectoris Hameliae munus adiit, Rintelii 1754. 4. Antiquiſſimis temporibus ſcholae theologicae publicae non erant, ſed qui doctrinae ſalutari ſuam operam addicere voluerunt, ab ore et praeceptis Apoſtolorum, et ſequenti tempore a praeceptis Epiſcoporum, quin imo Presbyterorum, ac interdum aliorum eruditione theologica excellentium, ad quos confluxerunt litterarum cupidi, ad rei ſacrae auſpicia promoti ſunt. Romae ante ſeculum VI, teſte *Caſſiodoro*, nondum fuerant doctores, qui, acceptis annuis ſalariis, adoleſcentes formarent, futuros reipublicae ſacrae antiſtites et ſtatores, quamquam in Graecia caeteriſque orientis plagis ſcholae publicae citius erant inſtitutae, ſed admodum raro, quas autor multis additis obſeruationibus recenſet. Ab vrbibus quibusdam ſacrarum diſciplinarum doctoribus annua pecunia fuit decreta.

9. De *florente litterarum ſtatu et habitu ad religionis Chriſtianae initia.* Rintelii 1755. 4. Quum auctor ab initio docte differeret de florente litterarum ſtatu, diuina religione orbem colluſtrante, et de ſentiendi atque philoſophandi libertate, eleganter docet, quantum inde cepe-

ceperit vtilitatis, roboris, atque ornamenti doctrina Apoſtolorum.

10. De *guſtatu inprima maxime aetate et ſcholarum ſpatiis conformando*, commentatio philoſophico-practica. Oſnabrugi 1756. 4. Heilmannus in hac commentatione egit perſonam non ſolum acuti et venuſti philoſophi, ſed etiam prudentis et ſagacis doctoris ſcholaſtici, ita vt vel ex his, munus ſuum quam perite obierit, coniici poſſet. Pro antiquis quoque auctoribus eorumque in ſcholis lectione breuiter et moderate et adcurate dixit. Omnibus autem iuuenum moderatoribus haec diſputatiuncula commendanda lectuque digniſſima videtur.

11. *Iacob Emanuel Roques Schule des Chriſten. Aus dem Franzöſ. überſetzt und mit einer Vorrede von den wahren Vorzügen eines practiſchen Vortrags begleitet.* Zelle 1757.

12. *De eo, quod eſt in diſciplinis problematicum.* Oſnabrugi 1757. 4.

13. *De pace quondam diuinis honoribus culta*, ſpecimen antiquario-criticum. ibid. 1757. 4.

14. *Prüfung einer neulich herausgekommenen Ueberſetzung des Herodotus, mit einigen Gedanken von Ueberſetzen.* Oſnabr. 1757. 4. *Goldhagenius*, Rector ſcholae Magdeburgenſis, Herodoti hiſtorias an. 1756. in linguam patriam translatas edidit; *Heilmannus* igitur in hac elegantiſſima commentatione multis exemplis (quorum tamen exiguum hic prolatum eſſe numerum

aiebat) oſtendit, illum ab vero ſenſu, ab elegantia ſermonis, ab recto particularum et aliorum vocabulorum vſu, officioque intenti peritique interpretis ſaepiſſime aberrantem, lima non ſatis adhibita, auctorem ſuum praemature in lucem protrudiſſe; quae vitia quo clarius monſtret, ab initio munus boni interpretis adcurate deſcripſit, et de dicendi genere, quo vſus eſt *Herodotus*, eiusque naturali pulcritudine et ſuauitate diligenter egit.

15. *Kritiſche Gedanken von dem Character und der Schreibart des Thucydides.* Lemgo 1758. 4. Hac proluſione, in qua de ſcribendi genere et charactere Thucydidis adcuratum tulit iudicium, et quibusdam obſcuris locis aut male intellectis manum adtulit medicam, ſpecimen exhibere voluit verſionis ſuae, et quid inde ſperare fas eſſet, copiam fecit lectoribus. *Heilmanni* autem de hoc grauiſſimo ſcriptore iudicium comparare cum eo, quod cel. *Reiskius* tulit in praefatione verſioni ſuae orationum Thucydidaearum praemiſſa, lectorem, cui otium animusque patiens eſt, non pigebit. Antea vero quam hanc abſolueret verſionem, Gottingam inuitatus, animum ad tempus adplicuit ad conſcribendam diſputationem, qua Rintelii ventilata 1758. ſummos in theologia capeſſeret honores, quae huius eſt ſententiae:

16. Diſput. *theologica finiendae iuſtae ſacramenti notioni.* Omnibus igitur Oſnabrugi ſar-

cinis

cinis collectis quum Gottingae ſtatuiſſet domicilium, verſionem ad vmbilicum perductam publici fecit iuris, hac inſcriptione:

17. *Teutſche Ueberſezung des Thucydides.* Lemgo 1759. 8. Difficillimum hunc auctorem ita tranſtulit in ſermonem patrium, ut, ſi ab aliquot locis diſceſſeris atque dicendi formulis, inferiori Saxoniae propriis, et lectori in Saxonia ſuperiori nato ſubobſcuris, ad perfectionem parum deeſſet, quod etiam cel. *Klotzius* in cenſura huius libri in ephemerid. Lipſienſ. obſeruauit. In notis ſat luculentis iisque haud paucis, aut mentem eleganiamue auctoris, aut ſuam interpretationem explicuit, aut more criticorum loca corrupta emendauit ſuoque reſtituit auctori, aut a temeraria et iniqua aliorum emendatione vindicauit.

18. *Compendium theologiaeDogmaticae.* Gott. 8. Hoc compendium in bibliotheca V. V. *Erneſti* theologica Vol 3. Part 1. laudatur propter breuitatem, ordinem et latinitatem, quae tamen interdum nimium ornata, contorta atque artificioſa nimiumque figurata eſt. Abeſt vero ab eorum opinionibus, qui vniuerſam theologiam ex primis humanae cognitionis principiis ſunt demonſtraturi. Sed more phyſicorum, qui ex multis experimentis atque obſeruationibus inter ſe comparatis, corpus poſtea fingunt et conſtituunt, ita in tradendis doctrinis ſacris verſandum arbitratur, vt ex codice ſacro ope

 theo-

theologiae exegeticae effata de deo rebusque diuinis et de hominibus inter ſe componamus, deinde nexum, quem veritates habeant, oſtendamus vireſque ingenii et ſapientiae humanae adhibeamus in ſubſidium. Qui ita verſatur, is veritates diuinas ſolide demonſtraſſe dici poteſt. *Baumgartenii*, doctoris ſui, mentem, notiones, methodum atque opiniones potiſſimum exprimit et ſectatur: in nonnullis tamen ab eo diſcedit. Soteros noſtri deſcenſum ad inferiores praetermittit. Sedem autem beatorum hominum, poſt hanc vitam in planeta quodam aut alio quodam corpore coeleſti collocat. Longiores interdum ſubtexuit obſeruationes, in quibus non tritas expoſuit opiniunculas, nec crambem bis terue coctam adpoſuit, ſed eas ſaepe res tractauit, quae iis, qui vltra compendiariam ſapiunt eruditionem, lectu viderentur digniſſima.

19. *Der Prediger und ſeine Zuhörer in ihrem wahren Verhältniß betrachtet.* Eine Abhandlung, womit die theologiſche Facultät die Erneuerung des unter ihrer Aufſicht ſtehenden Homiletiſchen Seminarii öffentlich anzeiget. 1763 8.

Minora ſcripta Gottingenſia ſunt:

20. Progr. *De eo quod intereſt inter diuinas notitias theologi et chriſtiani.* 1758.

21. Oratio aditialis *de commodis ex ſacrarum litterarum ſtudio ad philoſophiam redundantibus.* 1758.

22. Progr. Paſch. *de antiquo baptiſmi Paſchalis ſolemni.* 1759.

23. Progr. *de ſenſu, quem dicunt, morali eiusque in morum doctrina vero pretio.* 1759.

24. Diſſ. *de ratione, quam inter ſe habent humani generis iactura et reparatio Rom.* V. 12-18-1759.

25. Progr. Pent. *quo Ioſephi Halleti contra diuinitatem Spiritus S. molimina refutantur.* 1760.

26. Progr. Paſch. *de ratione, qua Ieſus ſua ex mortuis ἀναςάσει Meſſias demonſtratus eſt.* 1763.

27. *Die funfzehnte Nachricht von dem unter der theologiſchen Facultät Aufſicht ſtehenden Göttingiſchen Wayſenhauſe vom 1. Dec. 1762 bis dahin 1763 mit einer Vorrede von einer öffentlichen Erziehung.*

Paucis adhuc deſcribemus vitae et litterarum rationem *Heilmanni*, quo nihil verius, nihil ſimplicius, nihil candidius, nihil fidelius noui. Tanta enim ei fuit ſanctitas, grauitas, atque auctoritas, tam multae variaeque litterae, vt vel conſummatiſſimos et in litteris caneſcentes viros poſſit virtutibus illis prouocare. Atque iam in adoleſcentulo fulgebat indoles virtutis, magna celeritas et docilitas ingenii, quos igniculos boni animi inſtitutio ſedulaque optimorum librorum lectio quam maxime excitarunt. Poſtea vero amore litterarum ita captus eſt, vt iis nunquam ſatiari potuerit, ſed

plerumque ad multam noctem lectioni librorum et meditationibus, quibus paene immortuus fuit, vacaret; ab iisque neque imbecillitate valetudinis quacum vltimo aetatis tempore ſemper conflictatus eſt, neque conſiliis medicorum, neque ipſo vitae periculo retraheretur: parciſſimus fuit temporis atque intemperans in vnam legendi voluptatem. Immani vero hac ſua diligentia effecit, vt abundaret doctrina et quadam incredibili varietate rerum atque copia, omnibusque iis artibus, quae ſunt libero dignae, eſſet perpolitus. Quaecunque enim veneranda antiquitatis monimenta ab iniquitate et iniuria temporis ſeruata ad nos peruenerunt, ea omnia cognouit omnibusque praeſidiis ad illa recte apteque intelligenda fuit inſtructus. Plenam enim atque adcuratam habuit notitiam antiquitatis, artis veterum numariae, inſcriptionis, temporis locorumque deſcriptionis. Inprimis amauit Graecas litteras, quarum fuit peritiſſimus, ita vt poſt *Geſneri* obitum, donec in eius locum nouus graecarum litterarum doctor ſufficeretur, iuſſu ſuperiorum, in Gottingenſi litterarum vniuerſitate *Platonis* dialogos et *Homeri* Iliada interpretaretur. Atqui cel. *Reiskius*, aemulus ille *Heilmanni* in Thucydide explanando, in praefatione ſua ad verſionem germanicam orationum Thucydidaearum, Lipſ. 1761. 8. de cogitatis criticis in hunc autorem ſupra laudatis ita iudicat: "Ich erkannte an ihnen

eine Luſt ihres Verfaſſers zum Grichiſchen, eine für ſeine Iare zimliche Stärcke in diſer Sprache, eine hüpſche Einſicht in die ſchönen Wiſſenſchaften und eine Beurtheilungs-Kraft, die auch ein reiferes Alter ziren würde, und endlich einen edlen Mut ſich an ſchwere und nüzliche Unternehmungen zu wagen." Inchoauit etiam iuuenis magnum opus, et quod graecarum litterarum ſtudiis perutile fuiſſet, niſi poſthac perficiendae rei conſilium abieciſſet. Inceperat enim ex Euſtathio et, vt ex eo accepi, ex reliquis ſcholiaſtis, ea excerpere, quae has litteras inprimis iuuarent. Gloſſaria antiqua, quorum magnum habuit adparatum valde amabat; eorum vſum mirum in modum commendabat, ad eaque, in interpretando potiſſimum Homero, ſemper confugiebat. Impenſe praeterea amauit poëtas, et quum a natura ingenium nactus eſſet, amoenum, facile, acutum, quod res arripiat celeriter, et earum pulcritudine moueatur, et quoties velit, imaginem illarum poſſit repetere, non magis veneres poëtarum et ſuauitates ſentire poterat, quam de aliis bene commodeque iudicare. Quos enim praeclaros poëtas non ſolum Graecia olim et Latium, ſed etiam Anglia, Italia, Francia et Germania protulit et aluit, eos paene omnes curioſe cognouit. Hinc autem factum eſt, vt in verbis et ſententiis haud raro imitaretur poëtas eiusque dicendi genus, quo in lingua et Ger-

manica et Latina viſus eſt, ſaepe haud prope abeſſet a ſtilo poëtico. Caetera in ſcribendo et dicendo, paullum obſcurus fuit, tum ob longiores verborum circuitus, tum ob ſententias minus perſpicue traditas, tum, quod in theologicis praecipue recitationibus in nimias particulas omnia diſſecaret et diuideret, quae vitia etiam ex lectione atque imitatione librorum forte Baumgartenianorum, vti alii quoque homines fama conſpicui, traxit. Multi enim ſeſe tum demum virum quemdam, qui in magna eſt aeſtimatione, vere imitari arbitrantur, dum, quae in illo ſingularia, quin parum iucunda et grata videantur, exprimant. Idem propter contortas ſententias, longum periodorum ambitum, praeterea quum in eo non eſſet vigor ille et ſuauitas oris ac vocis, quae propter infirmitatem laterum preſſa fuit et temulenta, nec flumen illud verborum et volubilitas, in qua multi et eruditionem et eloquentiam ponunt, in auditorum ſegnium animis igniculos et ſemina iacere non potuit. Qui vero doctoris externa, motum corporis, qui in *Heilmanno* multum habuit vaſti atque agreſtis, os et vocem non curarunt, ii ex ſcholis illius incredibilem percipere potuerunt vtilitatem. Fons quaſi et origo omnis ſapientiae videbatur. Omnia enim ſolide et quantum fieri poterat, plane et dilucide, interdum iuſto copioſius tradidit, raro ad aliena tranſiit, atque a locis, quibus multi doctores,

vt

vt in beneuolentiam auditorum inſinuent, ſeueritatem rei quaſi condire geſtiunt, et auditores leues ac proletarii mirum in modum delectantur, quam maxime abſtinuit. Nihil autem praetermittere ſe debere arbitratus eſt, quod ad illuſtrationem, amplificationem, et materiam exhauriendam faceret. Hinc autem adcidit, vt, praecipue quum in morbum frequenter incideret, lectiones ſuas iuſto et praeſcripto tempore non finiret atque abſolueret. Philoſophiae et theologiae fuit ſtudioſiſſimus, ita tamen vt neminem vnum ſequeretur auctorem; et quam maxime ab humili ſeruiendi genere abhorreret. In ſacra tamen doctrina tradenda, quamquam cautus fuit atque prudens, tamen a norma et regulis noſtrae eccleſiae diſceſſit, et liberius interdum cogitauit, quam vt alii cuſtodes et ſtatores noſtrae religionis aequa mente poſſent ferre et tolerare. Iam quum in Scriptiuncula quadam publica opiniones a cultu noſtro ſanctiori alienas palam faceret, poſt mortem nactus eſt aduerſarium; qui *Barthius*, Profeſſor Lipſienſis, eſſe dicitur. Equidem *Heilmannum*, quem propter frequentem conſuetudinem penitius noueram, arbitror, nec conſulto nec ſtudio nouitatis aberraſſe a communi veraque doctrina, ſed ſedula anglicorum librorum lectione deceptum falſa pro veris, vmbram pro Iunone amplexum fuiſſe. Atque etiam confido, Heilmannum, ſi aetate progrediente et confirmata,

ac

ac feruore ingenii praepròperi, prudentia ſenili, mitigato, rectius ſapere coepiſſet, ad ſe rediiſſe, priſtinis erroribus abiectis, id quod etiam ill. *Pütterus* in hiſtoria litteraria Gottingenſi iudicauit.* Homo enim fuit placido, molli, lenique ingenio, ab omnibusque controuerſiis alienus, qui non gloriolam vanam aucupaturus noua aut inaudita defenderet, ſed hanc erroris cauſam fuiſſe arbitror, quoniam theologorum recentiorum, potiſſimum Anglorum, vt ſupra iam dixi, eorumque, qui iidem fuere philoſophi, quam antiquorum, frequentius legebat, et quoniam valde abhorrebat a conſuetudine eorum, qui, dum officii munerisque cauſa aliquid in lucem edere debent, nihil agunt, niſi vt ſcrinia aliorum compilent, nihil de ingenio ſuo addant, immenſamque auctorum, qui iam diu chorda eadem oberrarunt, cateruam in medium proferunt. Quare de iis libellis antiquariis, in quibus praeter verba aliorum, nullis cogitatis ſententiolisque interſperſis, nihil proprii conſpiciebatur, non admodum bene, quamquam modeſte, ſenſit.

Criticus fuit ſobrius, non temerarius, non audax, neque in monimentis humani ingenii, multo minus in libris diuinis ſuo indulgere ingenio,

* Conf. quoque ephemer. litter. Gotting. 1764. pag. 497.

genio; vtere et ſecare auſus eſt, quamquam in his interpretandis, more vulgari et triuiali relicto, ex linguis agnatis, praecipue Arabica multum peteret praeſidii. Arabicarum enim litterarum inprimis cupidus et ſciens erat, non ad oſtentationem, ſed ad verum illarum vſum; atque vltimis vitae annis omne fere tempus his tribuit, quas iam Halae, *Chriſtiano Benedicto Michaelis* praeceptore vſus, didicerat. Lexicon etiam Arabicum ſcribere voluit, atque operis iam coepti ſpecimina quaedam reliquit. Praeterea hiſtoriae, cum primis litterariae atque eccleſiaſticae, incredibili incenſus fuit ſtudio; atque ſi beato viro in viuis eſſe diutius licuiſſet, plus temporis et operae in poſteriori collocaſſet: conſueuerat enim, ſingulas litterarum et doctrinarum partes aliam poſt aliam ſolertius et diligentius tractare et expolire, non, nimia et peruerſa commixtione quaſi ſtrangulare.

De aliorum moribus et libris modeſte et verecunde, raro liberius, iudicabat atque vel in iis criticis, qui laureolam in muſtaceo quaerere, et in minutiis, litterulisque et cumulandis variis lectionibus omnem operam perdere potius quam ponere ſolent, induſtriam et ſedulitatem laudabat et admirabatur, quamuis ipſe in hac arte emunctae eſſet naris, vt ſupra diximus, et vltra plebeculam criticorum ſaperet. Nimio litterarum amore abreptus, amicorum colloquiis

quiis aut deambulatione parum ſe recreabat: aditus tamen ad eum nemini litterarum cultori non patebat, et frequentes longosque ſerere ſolebat ſermones, ſi de vera ſibi comparanda eruditione aut de libris linguisque diſſerere potuit. Erga quemlibet vero erat humanus, pacificus ac dubito an cum vllo homine, certe cum collegis ſuis, vmquam in gratiam redierit; in vſu verecundus et ſubtimidus; in victu maxime frugalis et modicus, aberat tamen a vitio ſordium, cuius vitii eum quidam inuidia faſtuque elati incuſare voluerunt. Mihi enim ipſe dixerat, ſe a multo carnis eſu, quod infirmitati valetudinis timeret, non propter ſordidam auaritiam abſtinere. Atqui ſi ſordium illarum reus fuiſſet, ſane ſe non adeo liberalem praebuiſſet erga egenos litterarum cultores, qui veniam facillime impetrarunt, vt, quin iuſtum ſoluerent honorarium, vti in academiis dicere mos eſt, eius intereſſent ſcholis, nec adeo indulſiſſet libidini librorum, in omni litterarum genere emendorum, quos et permultos habuit, et vndique magnis cum ſumtibus ſibi comparauit: vitio enim *βιβλιομανιας* laborare videbatur. Paucis: Religione aduerſus deum nemini cedebat, humanitate, verecundia, modeſtia pacisque et concordiae ſtudio multos ſuperabat, litterarum copia, induſtria, diligentia, animi intentione et perſpicacia tantum aberat, vt multos haberet pares, vt perpaucos haberet ſuperiores; et ſal-

va

va eſſet reſpublica litteraria, ſi plures exiſterent *Heilmanni.* Ecquis eſt enim mortalium, qui omni careat vitio? is nondum natus eſt, nec in hac humanae naturae imbecillitate forſan naſcetur.

ERHARDVS ANDREAS FROMMANN,

S. S. Theol. D. et P. P. O. Ill. Gymnaſ. academ. Coburgenſ. Director et Scholae Senator. Inſpector. Conſiliarius ſacri concilii Coburgenſis.

Terra Coburgenſis quam fertilis fuerit virorum tam vllo tempore quam vel noſtra aetate de bonis artibus promeritorum: ex hiſtoria litterarum patet; atque in priori iam volumine duo exempla habuimus praeclara, quibus merito adiungimus *Frommannum,* in iis praeſertim litteris, quae ab Oriente nomen habent, probe verſatum. Natus autem eſt *Wieſenfeldae,* in agro Coburgenſi d. VIII. Nou. ann. XXII. noſtri ſaeculi, patre *Samuele Hartmanno Frommanno,* tum praecone verbi diuini Wieſenfeldenſi, poſtea Grubenſi; (qui Grubae itidem ditionis Coburgenſis anno CIↃ IↃCC LIX. placide decedens, filium laude florentem adhuc vidit, senectutis ſuae ſolatium) matre autem *Roſina Dorothea, Andreae Frommanni,* Diaconi Cobur-

Coburgenſis filia vnica. A quo vitam habuit naturalem, ab eo etiam prima religionis et litterarum accepit elementa. Pater vero, quoniam ſibi non ſatis otii eſſe videbat, ad ingenium filioli poliendum; miſit eum Coburgum in patrium ludum, ac primum quidem in Paedagogeo, quod coetum ciuium inferiorem conſtituit, per tres annos litteras tam fideliter didicit, vt, iis exactis, aptus videretur, qui lectionibus intereſſet publicis in Caſimiriano, (quod Gymnaſium academicum nomen habet ab eius conditore, Caſimiro, duce Saxoniae,) vbi *Meuſchenio, Schwarzio, Gielhleinio, Bergero, Albrechtio, Treſenreutero, Ehrenbergero, Schubarto, Linkioque* in litteris Latinis, Graecis atque Hebraicis, in hiſtoria catholica et ſacra, itemque in arripiendis praeceptis philoſophicis ac theologicis vſus eſt praeceptoribus. *Meuſchenii* et *Schwarzii*, qui litteras orientis et humanitatis ſumma cum fama docebant, illuſtribus exemplis potiſſimum excitatus eſt, vt illas, tantis viris ducibus, praecipua cum diligentia coleret, paremque laudem adſpiraret. Videmus vero, quantum et litteras et publicam vtilitatem iuuare poſſit, fides atque eruditio doctoris ſcholaſtici, qui artes philologiae recte tradit. Namque non ſolum adoleſcentes praeceptoris auctoritate eriguntur, atque ad induſtriam acuuntur, ſed in animis quoque illorum relinquuntur aculei, ad litteras bonas ſemper amandas et cum ſeuerio-

nerioribus ad inſignem vtilitatem feliciter coniungendas: ſordidus contra indoctus atque ignauus doctor ſcholaſticus, aut qui philoſophaſtri nomine tantummodo venit, retardat et deprimit vel optima ingenia, quae niſi in academia quadam peritis ſe doctoribus expolienda tradant aut plane hebeſcunt, aut, propter feruorem animi ingeniique magnitudinem, principiorum in omni ſcientia ignari in aliis litteris noua moliri turbas in ciuitate litterata mouent. Noſtri vero pectus, vt ad illum redeam, bene praeparatum atque munitum fuit doctrina atque exemplis ſuorum praeceptorum; illarumque amor linguarum, de quibus ſupra diximus, poſtquam an. XLI. in academiam Altorfinam ſe contulit, tantum abſuit, vt more plurimorum iuuenum, qui elegantiores videri velint, ſepeliretur exſtingueretur ue, vt potius magis excitatus inflammaretur, nouis magnis exemplis *Ch. G. Schwarzii* et *Nagelii*, quorum ille noſtrum artem oratoriam et hiſtoriam; hic vero Rabbinicas, reliquasque orientales litteras docuit: *Bernholdi* quoque, in Homeri carmen acroaſibus interfuit. In philoſophicis et mathematicis ſectatus eſt *Spieſium*. His praeſidiis inſtructus, ad perdiſcendam ſacram doctrinam ſe accinxit. Quare *Treſenreuterum*, hoſpitem ſuum, praematura autem morte viuis ereptum, ſupra ſacris religionis noſtrae praeceptis, arte effata S. S. rite interpretandi et pro roſtris ſacris apte

beneque orandi, ſuper fatis coetus chriſtiani, et antiquitate hebraica differentem; *Bayerum*, doctrinam de moribus ſacram tradentem, et hiſtoriam reſtitutae et purgatae per Lutherum Chriſtianae religionis enarrantem: iterum *Bernholdum*, epiſtolam Paulli ad Ebraeos interpretantem, artemque aduerſarios verae religionis conuellendi docentem, ſedulo audiuit. *Deinlinium* denique adiit, vt ius eccleſiaſticum perdiſceret. Tam larga meſſe collecta non potuit fieri, quin fructus perciperet vberrimos, laetaque diligentiae adipiſceretur praemia; quorum primum fuit laurea philoſophica, quam poſt examina conſueta et habitam diſputationem inauguralem, die Petri et Paulli memoriae ſacro, quo in academia Altorfina et faſces academici nouo Rectori traduntur, multaeque aliae ſollemnitates publicae peraguntur, in ſollemni tulit panegyri.

Eodem anno diſputatione pro facultate docendi, more in academiis conſueto, ventilata, aliis litterarum cupidis ſui copiam facere, ſcholasque tam philologicas quam philoſophicas habere coepit. Media tamen fere aeſtate anni ſequentis, oblata commoda occaſione, in Auſtriam et Hungariam iter fecit: et quo tempore Viennae verſabatur, non otioſus ſedebat ſpectator luxus atque ſplendoris et vrbis et aulae, ſed in ampliſſima Caeſarea bibliotheca quotidie delitescere, eamque in ſuos vſus conuertere ſtu-

duit.

duit. Haec fuit eius voluptas; hae deliciae, quae ſtultum fugiunt, ſapientem afficiunt. In illis terris ad finem anni commoratus poſtquam Altorfum rediit, iuuentuti academicae et diſputando et docendo, vt coeperat, inſeruire, idemque filios Treſenreuteri, eo ipſo anno defuncti, quod per triennium iam fecerat, litteris inſtituere perrexit. Triennio vero in erudiendis ciuibus academicis nondum finito, factum eſt, vt prouida Dei cura eum ad munus ſacrum obeundum admoueret: Iuſſu enim Sereniſſimi principis ſui *Franciſci Ioſiae*, Ducis Saxoniae, ad coelites nunc translati, quum a Synedrio eccleſiaſtico Coburgenſi in patriam ad colloquium theologicum, et cum duobus aliis, more in hac terra ſolito, quando in munere ſacro, praeſule ſuo orbato, nouus debet conſtitui, orationem ſacram δοκιμασικὴν in templo Mauritiano Coburgi habendam vocaretur. Oris ſuauitas atque eruditio, cuius fama in patria iam antea percrebuit, proceribus nunc ita probatae fuerunt, vt ei verbi diuini munus *Walburi* demandaretur: vbi quum ſex annos vixiſſet, *Garnſtadium*, vicum itidem in agro Coburgenſi, ad idem munus adminiſtrandum iuſſu Principis ſui, rerum ſuarum ſedem transtulit, atque a. 1752. in matrimonium duxit Roſinam Mariam, b. Brumhardi, Ienenſis olim diaconi, filiam virginem natu minorem. His vero officiis functus, morem nonnullorum ſacrificulorum potius quam praeco-

num verbi diuini (plurimos tamen, quibus omnem honorem debeo magnique eos aeſtimo, illorum gregi nolo adnumerare) qui, prouincia ſacra accepta atque vxorilla in matrimonium ducta, agri culturae, aut corpori liberisque operam dare, intereaque paucos illos libellos, quos ſibi forte comparauerant, muribus, tineis puluerique conſumendos et dilacerandos permittere ſolent; eorum igitur ignauorum morem non imitabatur: ſed vel eo tempore, quo pinguibus illis nugatoribus otiari non turpe fuerit, noſter in ſummo otio minime fuit otioſus. A certo enim homine me accipere memini, *Frommannum*, quando meſſis tempore ruri eſſe, et rei familiaris cauſſa operas meſſorum obſeruare libuit, inter ambulandum aut ſub opaca quadam arbore, vel platano ſedens, aurea Homeri aliorumque Graecorum poëtarum carmina legiſſe. Ita vero eos libros verſauit, quos ab aliis eiusdem deterioris conditionis hominibus ob litterarum ignorantiam ingeniique ſtuporem negligi conſtat.

Tandem vero virum tanti laboris et tam paratae doctrinae prouida Dei cura in illuſtriori loco, ingenio eius aptiori, poſuit, quo eius eruditio ingeniique indoles et magis fulgerent, et ad communem vtilitatem eſſent efficaciores coepitque arctioribus interuallis ei praemia meritorum tribuere. *Sucroni* enim Profeſſori quondam eloquentiae et Graecarum litterarum, viro

vrbani

vrbani amoenique ingenii, mortuo, *Frommannus* a. L V I. in Caſimiriano ſucceſſor datus eſt; hac tamen lege, vt Graecae atque Orientalium linguarum prouinciam docendarum ſuſciperet, quam III. ante cal. Nou. ritu ſollemni adiit. Maior honorum et praemiorum ſpes eluxit, cum a. L V I I I. *Ehrenbergero*, rude donato, in munere Paedagogiarchae ſuſtinendo adiungeretur, quod ei ſoli anno ſequenti, quo *Ehrenbergerus* diem obiret ſupremum, attributum eſt. Summum tandem locum in Caſimiriano nactus eſt, poſtquam *Buttſtedius*, qui nunc quoque viuis ereptus eſt, menſe Nou. a. L X I. in academiam Erlangenſem ad munus Profeſſoris Theologiae et paſtoris Palaeopolitani gerendum euocatus, prouincia Directoris, quo adhuc functus erat, decederet. Quum leges autem Caſimirianae velint, vt Director ſummis in Theologia honoribus ornatus ſpartae ſuae auctoritatem comparet maiorem, anno ſequenti ea mente Altorfum profectus eſt, quos etiam, peractis ſollemnibus conſuetis, obtinuit.

Atque *Frommannus*, ſi quis alius, illis honoribus, illoque munere dignus eſt; nec dubito adfirmare, digniorem eſſe, qui in academia quadam litteras ſacras atque orientales profiteatur. Neque tamen, amore patriae ductus, nutuque ſui principis, apud quem, dum ille vixit, multum valuit auctoritate, commotus, conditionem vllam academicam, bis oblatam, accepit.

Duobus enim abhinc annis (a. LXIV.) in duas celebres academias, lautiſſimis conditionibus propoſitis, inuitatum, vt locum in ordine theologorum occuparet, voluntas ſui principis retinuit, ne muſas deſereret Coburgenſes. Princeps vero eum non ſolum ornauit dignitate Conſiliarii ſenatus ſacri, ſed ſua quoque ſponte iuſſit ducentos thaleros annuo ſalario quotannis adnumerari. Sic artes litteraeque fouent aluntque amatores conſtantes, noſterque, ſi quis alius hac dignitate ornari debuit, neque ex iis, quae dicturus ſum de eius ingenio, litteris, vitaeque conſuetudine, quantum cognoui et videre poſſum, (ego vero glorior, me conſuetudine huius elegantis doctique viri nunc frui, ex eiusque vſu paene quotidiano non minorem vtilitatem, quam iucunditatem percipere) iudicium meum litterarum intelligentibus videbitur temerarium. Atque etiam praeclaras multasque habet virtutes: inſignem humanitatem atque vrbanitatem, religionem aduerſus Deum, pietatem erga ſuperos et pares, caſtiſſimos mores, grauitatem comitate conditam, qui decorum muneris probe ſeruet, conſtantiam et aequitatem mentis, adeo vt vita neque academica, neque ſcholaſtica, neque eccleſiaſtica mores mutet. Nullus horror, ſed decus, in cultu, nulla triſtitia. Ad hoc proceritas corporis, decora facies, quae plurimum adquirit venerationis. Sorte ſua viuit contentus, nec de iniquitate temporis et fortunae

curae quaeſtus eſt. Cautus et verecundus eſt tam in dicendo ſcribendoue, quam agendo, quando vero res poſtulat, ea libertate pruden-ter et verecunde vtitur, quae theologum de-cet. Rem familiarem nec ſordide nec anxie curat, neque tamen eam perdit. Quibuscum verſatur, iis eſt iucundus et ab arrogantia plu-rimorum, qui ſapientes audiri cupiant, multum abeſt. Studium nec ad gloriae vanitatem nec ad quaeſtus humilitatem, ſed ad ciuium Caſimi-rianorum ſuamque ſalutem refert. Mira animi alacritas in docendo adparet; adſiduitate ſua litterarum cultores ad parem diligentiam ratus excitandos; quas quidem ob virtutes et doctri-nae vbertatem magna ſemper iuuenum copia ad eius recitationes ſiue priuatas ſiue publicas con-fluere ſolet. Nulla ſui ſuarumque opinionum iactatio. Litteras et philologicas et theologicas et philoſophicas ſumma cum fide, dexteritate ſtudioque, non leuiter, nec negligenter tradit, quae ſumma laus eſt doctoris cuiuslibet. Nihil in docendo alieni, nihil digreſſionum, niſi, quando, oblata occaſione, auditoribus vitae morumque inculcet praecepta. Ad diſputandi facultatem iuuenes exercet aſſidue: ipſe vero diſputat ſubtiliter, grauiter, ornate: Multum enim habet ingenii, atque iudicii, et mirabilem memoriam, ita vt proluſiones atque orationes publice habendas, chartae mandatas, et ſemel iterumque perlectas memoriter, et venuſte re-

 citet.

citet. Id genus doctrinae ſibi elegit, in quo plane habitaret, litteras orientales; in quibus etiamſi paucis abhinc annis induſtria eius potiſſimum verſaretur, ita tamen non acquieſcit induſtria, vt his totum ſe conſecret: Apte contra, vt par eſt, coniungit cum ſalutari doctrina chriſtiana: atque a quodam tempore animum inprimis adpulit ad ſcientiam, bene recteque interpretandi diuina oracula, et ad ſcribendi quoddam genus, quod litteris ſacris miram parit vtilitatem, e patribus, quos vocant, eccleſiaſticis vt illuſtret ſacrum codicem. Quantum vero diligentiae ſtudiique in his libellis conficiendis eſt ponendum, quum vaſta eorum volumina ſint ſumma cum animi intentione perlegenda, tantum iis adfert ornamenti. Rabbinos quosdam, eosque reliquis praeſtantiores frequenter legit, nec vero cum tanta ſuperſtitione, vt plurimi homines ſuperioris ſaeculi, qui quando illos intelligere potuerunt, nullam ſcriptiunculam doctam atque elegantem habuerunt, quae non exornata fuerit litterulis voculisque Rabbinicis; ſed nouit eorum ineptias, errores fideliter detegit, et gemmas ex ſtercore quaerit. In Grammatica Hebraea non eſt a parte ſeueriorum et moroſorum *Danzii*, profeſſoris quondam Ienenſis, aſſeclarum, ſed *Schultenſii* quoque, Batauí profeſſoris erudítiſſimi, praecepta ſequitur. Arti in vetus teſtamentum criticae, quam quidem plurimi nullam eſſe contendunt, pretium

ſtatuit,

ſtatuit, caute tamen in eo genere verſandum eſſe iudicat. Dicendi genus in lingua Latina eſt perſpicuum, ornatum et copioſum, eaque de cauſſa laudandum, quod plurimum temporis nunc impendit ſtudio diſciplinarum ſacrarum. In philoſophia recentiorum placita ita ſectari videtur, vt ſuum ipſius iudicium ſequatur, a nugis tamen et deliriis quorumdam recentiorum quam maxime abhorreat. Quid vero in graecis litteris praeſtiterit, etiam teſtimonia dedit, et nos ſupra vidimus. In commentando et conſcribendis libellis a more illorum abhorret, qui tantum non conſcribillent et compilent veterum ſapientium loca; nihil autem de penu ſuo promant. Quo factum eſt, vt eius ſcripta, quamquam ſingula paucis conſtant plagellis, a ſtatoribus verae eruditionis, et qui de ingeniis atque aeſtimationibus doctorum virorum recte apteque iudicare poſſunt, probarentur, ſummisque efferrentur laudibus. Inſtar omnium *Erneſtium* ſi nominauero, ſatis teſtimonii me attuliſſe arbitror. Illa igitur indicabimus.

Diſputationes.

1. Inauguralis pro Magiſtri philoſ. honoribus, *de cultu Deorum ex* ὀνοματοθεσίᾳ *illuſtri.* Altorf. a. XXXXV. praeſide *Nagelio* v. cel.

2. *Philoſophemata quaedam R. Moſis Maimonidis cum recentiorum quorumdam ſententiis collata.* Reſp. *Frid. Ferd. Vlmer.* ib. eod.

Docentur atque examinantur ea potiſſimum, quae Maimonides et recentiores quidam philoſophi de aeternitate mundi, et de naturali mentis praeuidendi et diuinandi facultate iudicant.

3. *De Hermeneuta veteris Eccleſiae.* Reſp. *Wolfg. Bapt. Kraemer.* Altorf. a. XLVII.

Hermeneutam veteris eccleſiae, eum fuiſſe, docet inter ordines eccleſiaſticos, qui, quae coram coetu ſacro legerentur aut dicerentur, in aliam transferrent linguam: quorum originem animaduertit in priori epiſtola Paullina ad Corinthios cap. XIV. verſ. 27, 28. Docte et copioſe dein eorum exponit antiquitatem et officia.

4. *De Syntaxi linguae et praecipue Ebraicae.* Reſp. *Georg. Wolfg. Franc. Panzer.* Alt. eod. an.

5. *De lingua profunda ad illuſtr.* Ef. XXXIII, 19. Ezech. III, 5. 6. Reſp. eod. ib. XLVIII.

6. *De opinata ſanctitate linguae Hebraicae, foecunda errorum matre.* Reſpp. *Io. Schulteſio* et *Io. Leonh. Springero.* Coburg. a. LVIII.

Ill. *Michaelis* in ephemerid. litter. Götting. plag. 146. eiuſd. an. hanc diſp. valde laudat.

7. *De ſacris Iudaeorum libris idolorum imaginibus olim foedatis ad ill. 1.* Macc. III, 48. Reſp. *Ier. Nicol. Eyring,* (qui munere Rectoris in ſchola Göttingenſi nunc fungitur, in illaque Academia litteras docet) a. LIX.

Recenſ. in Erlangenſ. Ephemerid. litter. pag. 77. eiusd. anni.

8. *De*

8. *De ritu foederum faciendorum apud veteres ad illuſtr. S. S.* Reſp. *Io. Chr. Iac. Rosteuſcher.* ib. a. LX.

9. *An variae lectiones ad codicem V. T. ex Miſchna colligi poſſint.* Reſp. *Io. Wolfg. Schneidero.* Altorf. excud. ann.

Comparando loca, quae in Miſchna ex S. S. excerpta occurrant et a vulgarium noſtrorum codicum lectione diſcrepent, oſtendit, ſi vel minime diſcrepantiae quae ſenſum non turbant, lectiones variae nominari debeant, eas multas et adhuc plures eſſe: contra vero nullas eſſe, vel paucas, quae ſenſum mutent; quod inde fieri animaduertit, quod in editis Miſchnae exemplis loca V. T. ex codicibus Maſoreticis exhibita ſunt. vid. etiam ephem. litter. Erlang. nr. 46. eiusd. an. et Erneſti biblioth. theol. P. II.

10. *De eccleſiae chriſtianae reformatione Iudaeis utili.* Reſp. *Io. Gottl. Otto.* ib. a. LXI. vid. ephem. litter. Lipſienſ. pl. 36. e. a. et laudatur a vir. ven. *Erneſti* loc. modo dicto.

11. *De Maximiliani I. imperatoris Rom. in rem litterariam meritis.* Reſp. *Chriſt. Gottl. Zeiſſ.* ib. eod. an. vid. Erlang. ephem. litt. pl. 46. pag. 351. an. eiusd. it. Lipſ. ephem.

12. Diſſ. inaug. theol. *qua Topices Paulli Apoſtoli in fide ſaluifica ex V. T. probanda Specimen proponitur.* ibid. a. LXII. Vid. Erneſti Bibl. theol. it. Ephem. Lipſ.

13. *De*

13. *De Feminis quibusdam, quae Euangelii veritatem tempore reformationis ſacrorum ſcriptis defenderunt.* Reſp. *Io. Henr. Franck*, Cob. an. LXIV.

Commemorantur merita *Argulae de Grumbach*, *Vrſulae Weidiae* et *Vrſulae Monſterbergenſis*, atque in vita prioris a *Riegerio* deſcripta varia emendantur et ſupplentur.

14. *De Canone hermeneutico, quo a ſenſu proprio non eſſe facile recedendum praecipitur*, A. R. *Ioh. Ern. Faber.* ib. a. LXV.

Canon hic peruulgatus alias, curatius definitur, et ab abuſu vindicatur.

Programmata.

1. *De vtili linguae Graecae cum hebr. coniunctione.* Coburg a. LVI.

2. *De cauſſis Nominum litterarum Hebraicarum ex primo et antiquiſſimo ſcribendi genere demonſtratis*, a. LVII.

Probatur ab ill. *Michaeli* in ephem. litter. eiusd. anni.

3. *In Cl. Aeliani variam hiſtoriam obſeruat. aliquot.* eod. an.

4. *De Metropoli Philiſtaeorum regni a Dauide expugnata* ad II. Sam. VIII, 1. eod. an.

5. *De aqua loquente ad Ignatii ep. ad Rom.* an. LVIII.

6. *De viris precari iuſſis, ἐν παντὶ τόπῳ* ad I. Tim. II, 8. eod. an.

7. De

7. *De codicibus ſacris iuſſu Conſtantini M. ab Euſebio adornatis.* a. LIX.

Conf. *Erneſti* biblioth. theol. Vol. II. atque Erlang. ephemer. litter. plag. X. pag. 77. a. LX. Conſtantinus M. Euſebio mandauit, vt quinquaginta codices diuinarum ſcripturarum, quarum adparatum et vſum maxime neceſſarium eccleſiae intelligeret, in membranis bene paratis ab artificibus antiquariis venuſte pingendi peritiſſimis deſcribendos curaret, qui et legi facile et ad omnem vſum circumferri poſſent: quod mandatum Euſebius, vt ipſe narrat, exſequutus eſt, ita tamen vt nonnullos N. T. libros ad exemplar Origenis excuſſos volumen comprehenderet.

8. *De Chriſto Irenarcha.* a. LXI.

9. *Religionem Proteſtantium regali ciuitatis generi non minus, quam reipubl. liberae adcommodatam eſſe contra Monteſquium aſſeritur.* ann. LXII.

10. *Ad verſionis vulgatae locum Iob. IX, 28. breuis obſeruatio.* eod. an.

11. *De Chriſto ad gloriam Patris e mortuis excitato ad Rom. VI, 4.* eod. an.

12. *Per aquae libationem in feſto Tabernaculorum dona Sp. S. tempore N. T. expectanda adumbrata fuiſſe, probabile haud videri euincitur.* eod. an.

13. *Obſeruationes ad Genealogiam Ieſu Chriſti a Matthaeo traditam.* eod. an.

14. *Ori-*

14. *Orientis regibus plurium numero de ſe loqui non inuſitatum olim fuiſſe, probabiliter oſtenditur.* a. LXII.

15. *De Chriſto non angelorum ſed hominum ſeruatore ad Hebr. II, 16.* eiusd. a.

16. *De erroribus, qui in interpretationem V. T. a Iudaeis manarunt.* a. LXIII.

Cl. *Frommannus* hos errores a Iudaeis ad Theologos quosdam chriſtianos translatos eſſe cenſet, quod primum arti criticae in V. T. nullum plane locum reliquiſſent: deinde in S. S. vbique myſteria atque emphaſes deprehendiſſe ſibi viſi eſſent, denique eamdem ſententiam ad plures interpretationes atque allegorias detorſiſſent.

17. 18. *Topice App. in probanda ex V. T. Chriſti ex mortuis reſurrectione.* a. eod.

19. 20. *De Philoſophis a Licinio Imp. excruciatis.* eod. an.

Explicatur Aurelius Victor, qui cap. 41. *Licinio*, inquit, *ne inſontium quidem ac nobilium philoſophorum ſeruili more cruciatus adhibiti modum fecere.* b. Moshemius hos philoſophos fuiſſe autumat Chriſtianos, quod cel. Frommann, prolatis argumentis, negat. recenſ. huius diſp. eſt in Ephemer. litter. Erlang. pl. 20. an. LXIV.

21. 22. *Topica App. de Chriſti ad coelum adſcenſu ex V. T. probando*, eod. an. Vid. Erneſti theol. Biblioth.

23. *Der*

23. *Der Krieg und Frieden aus verſchiedenen Sehepuncten betrachtet*, a. 1764.

Eſt progr. inuitatorium ad orat. ſolennem in pacem Hubertsburgenſem ab autore habitam.

24. 25. *De Arbore fructifera non excidenda, ad Deutr. XX, 19.* a. eod.

26. 27. *Philonis et Ioſephi de agno paſchali cum Talmude conſenſus.* a. LXIV. Vid. *Erneſti* theol. Bibl.

28. *De legibus Moſaicis climatis contagiones reprimentibus.* a. eod.

29 - 32. *De praeſtantia religionis chriſtianae ex auctoris eius cum angelis comparatione, ab Ap. Paullo monſtrata*, ad Hebr. I, 4 - 14. an. eod. Vid. ephem. Erlang. in quibus reliqua etiam indicantur et recenſentur.

33. *De religione chriſtiana omni climati accommodata.* an. eod.

Contra Monteſquium arbitrantem, legem Chriſti de monogamia Aſiae climati minus conformem eſſe.

34. *Der leichte Tod eines Regenten, der ein Weiſer und ein Chriſt iſt; in der Einladungs-Schrift zur Trauer und Gedächtnis-Feyer, wegen des höchſtſeligen Ablebens des Durchl. Herrn Herzogs Franz Ioſias.* eod. a.

35. *Trauer- und Gedächtnis-Rede, auf den höchſtſel Herrn Herzog Franz Ioſias.* eod. a.

36 - 40. *Topica App. in exterarum gentium ad Chriſtum vocatione ex V. T. probanda.* eod. a.

41. *Hy-*

41. *Hypotheſis Hermeneut. Ioh. Iortini, Angli, de duplici nonnullorum vaticiniorum V. T. ſenſu, examinata.* an. LXV.

45. *Interpretationes N. T. ex Hippolyto collectae.* eod. a.

Sequentur ſimiles collectiones ex Clem. Rom. Ignatio, Theophilo, aliisque patribus priorum p. n. C. ſaeculorum; quibus Autor praeludit iuſto operi *Patriſticae N. T. interpretationis.*

46 - 50. *Topica Paulli in Chriſtianorum a lege Moſaica immunitate ex V. T. probanda.* eod. an. et LXVI.

Conſilium cl. Autoris in eiusmodi commentationibus topicis, quas poſthac continuabit, addita tandem *Theoria Topicae Apoſtolicae generali,* eſt oſtendendi, quomodo Apoſtoli dogmata ſacra, quae proponunt, ex dictis V. T. probent, adeoque maleuolorum criminationes refutandi, qui probationum minus idonearum; quibus ſubinde vſi ſint, illos non verentur inſimulare.

52. 53. *Memoriae Crameri* P. Phil. et Matheſ. atque *Linkii* Prof. Phil. pract. et bibliothecae Praefecti. a. LXV. et LXVI.

54 - 56 *Iudaeorum per orbem diſperſio religionis Chriſtianae inter gentes olim propagandae magnum adiumentum.* a. LXVI.

IOAN-

IOANNES ERNESTVS IMMANVEL WALCH,

Eloquentiae et Poeſeos Profeſſor Publicus Ordinar. Societatum Latinae Ienenſis Director. Roman. Arcadic. Florentin. Columbar. et Litterariae Bremenſis Sodalis.

Quum omni ferme tempore ea parentum, qui nominis gloria floruerint, rara eſſet fortuna, vt filios haberent, qui facinora ipſorum praeclara laudemque eruditionis aut imitari aut aemulari conarentur: eo maiori, credo, adficiuntur illi laetitia, qui omnem ſuam prolem laetam probatamque videant, quibusque gignantur liberi, qui omne ſtudium omnemque curam in eo ponant, vt gloriam maiorum quaſi haereditate traditam retinere, eorumque virtutes aut aequare allaborent aut ſuperare. Id contigit viro ven. *Io. Georg. Walchio*, Doctori et Profeſſori in academia Ienenſi celeberrimo, cuius tres filii, dum adoleſcentes ſuſtinuerant haud paruam imitandae paternae induſtriae nominisque exſpectationem, maiorum famam honoribus eruditione ſibi partis illuſtrare, nominique paterno auitoque nobilitatem adiungere ſtuduerunt; Ex quo quidem intelligi poteſt, quanta vis ſit diſciplinae domeſticae. Quorum quamquam nullius laudi aliquid detrahere velimus: vitam tamen potius filii maximi natu, qui ab adoleſcentia litteris ſe elegantioribus conſecrauit,

crauit, ſumus deſcripturi. Ordiamur vero a pueritia.

Natus eſt Ienae d. II. cal. Sept. an. huius ſaeculi XX. patre ven. *I. G. Walchio*, et matre, filia celeberrimi illius viri *Io. Franciſc. Buddei*, qui optimi parentes omnem diligentiam operamque in exornando atque erudiendo filio adhibuerunt. Quare vt primum per aetatem licitum fuit, de peritis fidisque doctoribus, quorum dexteritati curaeque filium recte traderent, magna cum ſollicitudine cogitarunt. Vti enim in ſeruandis plantis et floribus, vt primum ex ipſis caulibus quaſi erumpunt, magna hortulanorum diligentia et accurata cultura opus eſt, ne in ſobole bonitas deminuatur; neque facile quisquam eorum curam homini ab arte et vſu imparato committere ſolet: ita etiam parentes *Walchii* in filii inſtitutione, quo plus difficultatis ea habet, primo iam aetatis flore, ad colenda et propaganda naturae bona, peritos et diligentes homines in domum receperunt, quorum et auctoritate et exemplis praeceptisque animus moresque emollirentur et fingerentur. Quamuis plurium laudanda eſſet diſciplina, maximam tamen meretur laudem cl. *Io. Frikius*, qui in Gymnaſio Vinarienſi munere nunc fungitur Conrectoris. Hic per plures annos adoleſcentis animum litteris tam fide erudiuit elegantioribus, vt, qui annos XVII. natus ſcholas doctorum academicorum adiret, dignus aptusque

habe-

haberetur. Ne tamen illotis manibus, ſacris initiaretur diuinae doctrinae, ad quam perdiſcendam animum adpulerat, in litterarum et reconditarum atque interiorum, et earum ſtudio, quae memoria comprehenduntur, ſic verſatus eſt, vt viam ad Theologiae adyta facilius aperiret ſibi atque muniret, ea vel in re ad patris auique exemplum gloriamque contendendum ſibi eſſe arbitratus.

Quare *Büderum*, quum fata omnium regnorum enarraret; *Dariesium*, quum dialecticam; *Reuſchium*, quum eamdem ſcientiam et Metaphyſicam explicarent, audiuit. *Hambergeri* et *Wiedeburgii* auditor fuit, quum ille phyſicam et matheſin; hic vero matheſin, quam dictitant, adplicatam doceret. Atque nullum Theologi nomen vere mereri, orientalium linguarum rudem, niſi quis ad munus ſacrum aliquando adminiſtrandum leuiorem et plane hiſtoricam ſacrorum praeceptorum cognitionem et frequentem orationum ſacrarum lectionem vſumque ſufficere arbitretur, quoniam probe perſpexit, duce *Reckenbergio*, qui nunc ſacro coetui Appoldae praeeſt, praeter peritiam regularum linguae Ebraeae atque accentuum doctrinam, linguas Chaldaicam, Syriacam, atque Samarithanam ita didicit, vt *Tympii*, quem etiam in Rabbinicis, Talmudicis atque Arabicis praeceptorem habuit, recitationibus biblicis et curſoriis, quas vocant, in vetus Teſtamentum,

cum inſigni vtilitate per plures annos interfuerit. In Rabbinicis quo diligentiam magis exerceret, Rabbino quodam, harum litterarum peritiſſimo, qui ſuperſtitione Iudaeorum abdicata, coetui Chriſtianorum nomen dedit, vſus eſt doctore. Praeter ea antiquitatem et hiſtoriam litterarum priuata diligentia cognitas ſibi reddidit, quo et veteres auctores, quorum ſuauitas eum ſemper cepit, curatius intelligeret, factaque litterarum pernoſceret. Metam tamen ſtudiorum, quam ſibi praefixerat, quo celerius attingeret, aſſiduus fuit in ſcholis patris, ſiue fata gentis Dei vtriusque foederis recenſentis, ſiue ſacram diſciplinam interpretantis, ſiue artem docentis, cuius beneficio armisque aduerſarios vel adgrederetur, vel debellaret ſoteros adſecla; ſiue hiſtoriam doctrinarum ſacrarum litterariam exponentis. Atque quantum conniti animo potuit, quantumque labore contendere, tantum fecit, vt voluntati atque exſpectationi patris reſponderet; nec commiſit, vt, quum omnia ſuppedita eſſent, ſibimet ipſe defuiſſe videretur.

Hac igitur artium et diſciplinarum ſcientia inſtructus factum eſt iuſſu parentis, vt circa finem anni XLV. ab ordine philoſophorum ſummos in philoſophia honores peteret, quos etiam a Brabeuta *Tympio*, nomine illius ordinis, obtinuit, quibus anni ſequentis menſe Maio, diſputatione de *vinculis Apoſtoli Paulli ex antiquitatum*

profa-

profanarum monimentis, publice habita, iura doctoris, quem dicunt, legentis adiungebantur. Quo facto, cum ſacrum codicem N. T. interpretatus eſt, tum maxime praeceptis Romani ſermonis tradendis, atque explicanda antiquitate vsque ad an. XLVII. occupatus fuit. Tum conſentientibus parentibus comiteque fratre, qui munus profeſſoris ſacrarum diſciplinarum in academia Göttingenſi maxima cum laude nunc obit, ad augendam eruditionem moresque exterorum cognoſcendos iter facere inſtituit, atque, quacunque tranſiret, non modo claros philologos, ſed etiam litteratores, hiſtoricos, philoſophos et theologos, bibliothecas publicas et priuatas, et quaecunque viſenda quaeuis vrbs haberet, adire et perluſtrare decreuit. Hac igitur mente poſt feſtos dies, quibus memoriam ſoteros noſtri reſuſcitati recolimus, Iena relicta, per *Gottingam*, *Helmſtadium*, *Brunſuicium*, *Guelfybertum*, *Hannoueram*, *Luneburgum*, *Bremam*, petiit *Hamburgum*, indeque in Batauos abiit, qui, ſi qui alii, critices omnisque philologiae ſtudio quam maxime tenentur, viſitque *Groningam*, *Franequeram*, *Leowardum*, *Traiectum ad Rhenum*, *Lugdunam*, *Amſtelodamum*, reliquasque vrbes haud ignobiles. His in vrbibus, poſtquam aliquantum temporis commoratus ex conſuetudine cum viris doctiſſimis, *Doruillio*, *Dukero*, *Alberto*, *Weſſelingio*, *Alberto* aliisque inſignem vtilitatem et ſuauitatem

ceperat, rediit Germaniam, et per *Coloniam Vbiorum*, *Moguntinum*, *Gieſſam*, *Marpurgum*, *Wetzlariam*, *Francofurtum ad Moenum*, *Heidelbergam* et *Argentoratum* iter direxit *Lutetias*. Hac in vrbe, quo ex omnibus terrarum partibus homines partim conſuetudine ſaeculi noſtri, partim vrbis et confiniorum locorum ſplendore morumque Gallorum amoenitate atque abundantia elegantiarum et bibliothecarum ducti allectique confluunt, ita verſatus eſt, vt nihil praetermitteret, quo ſatietati mederetur. Excuſſit diligenter bibliothecas et regiam et ordinum ſacrorum: conuenit viros nomine claros, praecipue *Oliuetum*, *Sallierium*, *Lengletum*, atque alios. Poſt haec *Viennam Gallorum* demigrauit, vt veterum Romanorum monimenta atque reliquias, quae hanc vrbem finitimamque regionem mire commendant, curioſo attentoque animo inſpiceret. Gallis relictis, Heluetiam contendit, atque *Geneuae*, *Lauſanii*, *Bernae*, *Baſiliae*, *Tiguri* aliisque vrbibus priſtinum morem ſeruauit, vbi vſus cum *Breitingero*, *Bodmero*, *Hagenbuchenio*, et *Zimmermanno* ei et vtilis fuit et iucundus.

Poſthaec in Germaniam reuertit, et per *Tubingam*, *Stutgardiam*, *Vlmam*que peruenit *Auguſtam Vindelicorum*. *Italiam* deinde petiit, quae, quidquid de monimentis veterum ad noſtram peruenit aetatem, ſedes merito numeretur,

tur, atque, quum antiquitati omni ex inſpectione venerandarum reliquiarum maior lux accenditur, quam ſi iis, quae alii, licet doctiſſimi homines, de iis exponant, fidem habere cogimur, eo maiori cum alacritate, nullius laboris pertaeſus nulloque tempeſtatis et periculi metu perculſus viam ingreſſus eſt. Venit igitur *Tridentinum*, *Mantuam*, *Veronam*, vbi non modo in notitiam ſed etiam in amicitiam venit *Marchionis Maffei*, a quo nonſolum amice habitus eſt, ſed etiam aliis quam optime commendatus, deinde *Patauium*, vbi humanitas *Facciolati* noſtro potiſſimum profuit, *Venetias*, *Bononiam*, et denique *Romam*. Quilibet intelliget, Walchium ſingulis his locis bibliothecas et reliquias antiquitatis perluſtraſſe, viroſque doctos, quorum nomina ſunt peruulgata, conueniſſe. Quare in iis narrandis et laudandis verboſum eſſe nolui. Romae igitur, quidquid antiqui ab iniuria hominum temporisque ſeruatum eſt, modo in ipſa vrbe, vbi, quocunque paene te conuertas, veſtigia luxus artisque veterum deprehendes, modo in Capitolio, quo plurima monimenta, quae et praeſtantia et magnitudine reliquis antecellant, conferuntur, earumque intelligentiam antiquarii, qui eo quotidie veniunt, mire adiuuant, modo in Vaticana bibliotheca, propter numerum et raritatem librorum celebrata, in qua inſpicienda humanitas atque officium *Aſſemanni* valde profuerunt, ad ſitim ex-

exſtinguendam verſaretur, per aliquot hebdomades ſumma cum voluptate et vtilitate commoratus eſt. Atque, quo aditus et in conueniendis viris doctis et in frequentandis bibliothecis facilius pateret, vir Purpuratus, *Paſſioneus*, cuius adeundi noſtro quotidie fuit copia, ſua auctoritate et commendatione effecit. In loca quoque *Walchius* ſuburbana villasque veterum praecipue *Freſcatum*, Ciceronis Tuſculano quaſi nobilitatum, excurrit, quosdamque inſcriptiones aliaque monimenta ſibi acquiſita in patriam retulit. Iam viris nomine famaque illuſtribus quum crebro vteretur, factum eſt, vt praeter ſpem atque exſpectationem Societati Arcadicae, quae Romae floret, adſcriberetur. *Romae* vero, quum oculos animumque ſat paſceret, inde *Florentiam* deceſſit, quo praeter *Riccium* aliosque cum *Gorio*, homine omnis antiquitatis gnariſſimo, amicitiam contraxerat, quocum ei ab illo tempore vsque ad Gorii mortem interceſſit, litteris vltro citroque mittendis et omni genere officiorum ſuſtentata. Inde per ſaltus Appeninos *Bononiam* abiit et *Modenam*, quam vrbem *Muratorius* tunc temporis illuſtrabat. Tum per Venetias, qua in vrbe aliquot dies iterum commoratus eſt, indeque per *Auguſtam Vindelicorum*, *Noribergam*, *Erlangam*, *Byruthum*, *Curiam Regnitiorum*, *Lipſiam*, *Dresdam* atque *Halam*, ſingulis vrbibus nonnullos dies commoratus cum fratre in patriam rediit, haud

haud paucis libris in Germania raris cariſue aliisque rebus antiquis ſibi comparatis. Pluribus vero viris doctis quum, hoc itinere peracto, notus eſſet, copia etiam facta eſt, ad quam pluſrimos paucas pluresue mittendi litteras. E multis nominemus *Maianſium*, Hiſpanum; *Coſtodanum*, *Quirinum* purpuratum, *Paciaudium*, *Maffeium*, *Muratorium*, *Facciolatum*, Italos; *Saxium*, *Albertum*, *Meermannum*, *Weſſelingium*, Batauos; *Brukerum*, *Longolium*, *Reiskium*, *Euerb. Ottonem*, *Schoepflinum*, *Menkenium*, Germanos; *Bodmerum*, *Hagenbuchenium*, Heluetos. Redux factus ciuibus academicis vtilem eſſe ſcriptisque gloriam aucupari ſuamque multo labore multaque diligentia ſibi partam eruditionem aliis exponere perrexit. Nutritores igitur academiae Ienenſis Seren. eius meritis patriisque auctoritate commoti a. CIↃ IↃCC L. profeſſoris philoſophiae munus extra ordinem noſtro demandarunt, quod oratione, *de praeſenti litterarum in Italia ſtatu* auſpicatus eſt: ad quam audiendam proluſione *de antiquitatibus Herculanenſibus litterariis*, more maiorum, patres ciuesque academiae inuitauit. Eodem anno Societas Latina, quae Ienae floret, quum mortuo *Hallbauero* in *Ekhardum*, Prof. Eloquentiae, Directoris prouincia deferretur, noſtrum eſſe voluit Ephorum, quem honorem, oratione de meritis academiae Ienenſis in litteras humanitatis habita, ſuſcepit, atque poſt biennium

etiam, *Ekhardo*, viro admodum docto, ſed praematura morte viuis erepto, ſuffragiis ſodalium ſuffectus eſt: anno vero LI. Societas Columbaria Florentina, et a. LXIII. Litteraria Bremenſis inter ſuos receperunt. Hoc rarum euenit praeter conſuetudinem in academia Ienenſi, vt a. LV. diſputatione *de myſteriis philoſophicis* pro loco inter philoſophos obtinendo ventilata, munus docendae dialecticae et metaphyſices acciperet, quod a. LIX. cum prouincia, Eloquentiae et Poeſeos eius et ingenio et toti vitae rationi magis idonea aptaque, iuſſu Superiorum commutauit, et qua adhuc cum laude fungitur. Mortuo quidem Geſnero priuatis litteris Göttingam demigrare inuitatus eſt, quod vero nimium opimas poſtulauit conditiones, ſpes euanuit. Ad animum curis domeſticis relaxandum a. LIII. vnicam filiam b. *Hallbaueri*, Profeſſoris quondam Ienenſis, in matrimonium duxit, ex qua vero nullos adhuc vidit liberos. Inter negotia tamen academica id otii nactus eſt, vt induſtriam patris auique aemulatus, haud pauca ederet ſcripta, quibus ſui memoriam poſteritati commendaturus famae tam ſuae quam academiae Ienenſis ſeruiret; multaque et antiquitatis et ſacrarum Pandectarum loca illuſtraret. Quare ea nos indicabimus, quin ſingula copioſius edisſeramus.

1. Comment. I. *qua antiquorum Chriſtianorum doctorum de iure iurando ſententias percenſet*,

ſit, ac venerando patri de ſuſcepto regimine academico gratulatur. Ienae a. XLIV. 4.

2. Commentatio II. *qua antiquorum Chriſtianorum doctorum de iure iurando ſententiae percenſentur et diiudicantur.* eid. a.

3. Comment. *de magiſtris veterum Romanorum, qua - - Io. Frikium de ſummis in Philoſophi honoribus ſuo fratrumque nomine gratulatione proſequitur.* Ien. a. XLV. 4.

4. Diſſert. *de vinculis Apoſtoli Paulli ex antiquitatum profanarum monimentis illuſtratis.* Ien. a. XLVI.

5. Diatribe *de ortu et progreſſu artis criticae apud veteres Romanos.* Ien. a. XLVII.

6. Diatribe prior *de arte critica veterum Romanorum.* a. XLVIII.

Hoc argumentum an. ſequenti cel. auctor continuauit, et an. LVII. editionem alteram variis in locis auctam atque emendatam in octernis adornauit. Diffuſam atque accuratam argumenti tractationem laudant emphemerid. litterariae, praecipue Erlangenſes.

7. *Kurtze Einleitung in die Harmonie der Evangeliſten, zum Gebrauch ſeiner academiſchen Vorleſungen aufgeſetzt.* Ien. a. XLVIII. in octernis.

8. Comment. binae: *altera de nuptiis, ſuſceptione, educatione liberorum atque adoptionibus apud veteres Romanos, altera de aedificiis ac ſuppellectile veterum Romanorum.*

Vtra-

Vtraque commentatio nouae editioni antiquitatum Romanarum a *Cellario* expoſitarum, et a cel. *Walchio* recognitarum, eſt adiecta.

9. Marmor Hiſpaniae antiquum, vexationis Chriſtianorum Neronicae inſigne documentum, illuſtratum et viro cel. Anton. Franciſ. Gorio Baſil. bapt. Praepoſito et hiſt. Prof. Lycaei Florent. conſecratum Ien. a. L. 4.

Huius lapidis inſcriptio, quam Ian. Gruterus, Adolphus Occo, Ioſ. Iuſt. Scaliger et Paullus Baldrius exhibuerunt, atrociſſimum Neronis facinus et ſaeuiſſimam in Hiſpaniis Neronis perſecutionem memoriae mandat. In quo vero prouinciae loco lapis hic repertus atque effoſus ſit, nihil certi poteſt definiri. *Walchius* igitur diuerſas enumerat opiniones, fidem eius atque auctoritatem defendit, multaque, quae ad veterum ſcripturam et proſodiam pertinent, profert, et inſcriptionem ipſam variis obſeruationibus ſatis abunde illuſtrat.

10. *Antiquitates Herculeanenſes litterarias percenſet, atque orationem auſpicalem nuntiat I. E. I. Walchius.* a. L.

Auctior editio prodiit in lucem, cui acceſſit Sylloge inſcriptionum Herculanei atque iis eius confiniis erutarum Ien. a. LI. quae volumini quoque primo Symbolarum litterariarum, quae Romae a. LI. prodierunt, pag. 99. ſeq. inſerta eſt.

11. Diſſ.

11. Diſſ. *de veterum Diis patriis, qua locus Actor. XXIII, 14. illuſtratur.* a. LI.

12. *Chriſtus carne necatus, ſpiritu ad vitam reuocatus ad 1 Petr. III, 18.* a. LI.

Nomine Theologici ordinis ciues Academicos ad pie celebranda Paſchatos ſacra hac commentatione inuitauit.

13. *Panegyricus, Sereniſſimo Principi ac Domino Domino Friderico, Duci Saxon. etc. prouinciarum Gothanae et Altenburgenſis heredi, ſocietatis Latinae nomine dictus.* Ien. a. LI. in maxima forma.

14. *Prima vota pro Auguſto Protectore ſuo Sereniſſ. Principe ac Domino Friderico, Duce Saxon. etc. ſollemni ratione nuncupanda indicit Societas Latina.* Ien. a. LI. in form. maxima.

15. *Acta Societatis Latinae Ienenſis.* a. LII. in octer. mai.

In his continentur exercitationes diuerſorum ſocietatis latinae collegarum honorariorum et philologicae et criticae et antiquariae, *Geſneri, Kieslingii, Hauptmanni, I. Mich. Heuſingeri, Semmleri, Gruneri, Frid. Heuſingeri, I. E. I. Walchii*; adiuncta eſt hiſtoria ſocietatis a Ch. Guil. Franc. *Walchio*, tunc temporis Ephoro Societatis, nunc ſacrarum diſciplinarum Profeſſore in academia Göttingenſi conſcripta, et praefatio noſtri *Walchii*.

16. *Cicero Herculanenſis. ſiue commentatio de antiqua ſtatua Ciceronis ex Herculanei ruderibus effoſſa.*

Exſtat in tom. I. actor. Societ. Latin. pag. 115. ſq.

17. Oratio *de litterarum Graecarum ſtudio, ad conſequendam latinae linguae facultatem perutili, qua Directoris prouinciam in ampliſſima Societate latina ſollemni ritu ſuſcipit.* Ienae a. LII.

18. *De antiqua cruce aerea ſtationali ex muſeo viri Perilluſtris Ebner ab Eiſenbach.* differt. epiſtolica.

Ineſt Vol. IX. part. I. nouorum miſcellaneorum Lipſienſium a Frid. Otton. Meuckenio editorum.

19. Diſſ. *de Deo Melitenſium, Act. XXVIII, 6.* a. LI.

20. *Perſequutionis Chriſtianorum Neronianae in Hiſpania ex antiquis monimentis probandae uberior explanatio, qua multa tam ſacrae quam profanae antiquitatis capita explicantur atque illuſtrantur.* Ien. a. LIII. 4.

21. *Actorum Societatis Latinae Ienenſis.* anno LIII.

Ad ornandum hoc volumen *Menkenius, Geſnerus, Winklerus, Semmlerus, Strodtmannus, Gregorius I. E. I. Walchius, I. G. Mullerus, C. F. Walchius, Balhornius, Schoepperlinus* συμβολα contulerunt.

22. Po-

22. *Pocillator Phrygius ſiue peruetuſti aenei ſigilli, Romae in agro quodam reperti, et veram Phrygii pocillatoris imaginem exhibentis.*

Exſtat in tom. II. actor. Societ. Peruetuſtum hoc aeneum ſigilium a cel. poſſeſſore Romae emtum et cum aliis itineris ſui per Italiam litterarii ſpoliis aduectum eſt. Refert iſtud puerum craſſum et pinguem, qui ſiniſtra manu pateram tenet. Dextera eius per iniuriam quidem temporis periit, eam tamen, vt ex brachii ſitu colligitur, in altum videtur puer ſuſtuliſſe, atque in ea vas quoddam maius habuiſſe, ex quo vinum funderet, aut aquam in aliud minus paterae modo dictae forſitan imponendum. Pedibus, quorum alter aut ferrugine eſt corroſus, aut alio caſu ruptus, nudus comparet; corpore vero tectus cernitur, tunica nimirum, apte cingula ſuccincta et complicata amictus. Capitis tegumentum, in quo hic puer conſpicitur, priſcis Romanis alias inuſitatum fuit. Aeneum hoc ſignum pocillatorem referre cel. *Walchio* videtur. Quare quae pocillatorum, qui ſerui fuerunt, qui pocula conuiuis adminiſtrarent, ratio fuerit et conditio, et quae varia nomina his, qui etiam ſerui ad cyathum, ad cyathos, ad vinum dicti ſunt, in priſcis ingenii monimentis tributa eſſe nomina, ex antiquitate feliciter eruit. Denique imaginem, formam huius pueri vberius deſcribit atque explicat.

23. Diſſ. *de Architriclinio ad Ioan. II, 8.* Ien. a. LIII.

24. Comment. *de Petro nudo ad Ioan. XXI, 7.* Eſt in vol. IX. part. IV. miſcell. Lipſienſis nouor.

25. *De Apoſtolorum litteris authenticis a Tertulliano commemoratis*, diſſ. epiſtolica ad fratrem optimum *Chriſt. Guil. Franc. Walchium.* a. LIII.

26. *Actorum Societatis Latinae Ienenſis.* Vol. III. a. LIV.

Viri antea laudati aliique obſeruationes antiquarias et criticas in his cum orbe litterario communicarunt.

27. *Notae et obſeruationes ad Iſidori gloſſas ex Mss. Barthii, Schurzfleiſchii et Daumii collectae et cum obſeruationibus aliquot editae*, in tom. III. actor. Societ.

28. *Diſcipuli Emmauntici, commentat. ad pie celebranda Paſchatos ſacra in academia Ienenſi propoſita.* a. LIV.

29 Diſſ. *de Publio πρωτῳ Melitenſium ad Act. XXVIII, 7.* eod. an.

30. Commentatio *de Philoſophis veterum Eriſticis.* a. LV.

31. Diſſ. *de munere apoſtolico* Κλήρῳ τῆς διακονίας *ad Act. I, 17. 25.* eod. an.

32. *Societatis Latinae vota Vicennalia ſoluit, nouaque dictae ſocietatis nomine nuncupat eius Director I. E. I. Walchius.* eod. an.

Agitur de Vicennalibus veterum Romanorum.

33. *Acto-*

33. *Actorum Societatis Latinae vol. III.* an. LV.

34. *Obſeruationes ad marmora Strozziana.*

Reperiuntur in IV. vol. Actor. Societ. pag. 44. ſeqq.

35. *Emendationes Inſcriptionum Gruterianarum ex MSto bibliothecae Strozzianae collegit, digeſſit, breuesque adnotationes adiecit.*

Ibidem pag. 113. ſeqq.

36. Diſſ. *de ſacris Apoſtolorum conuentibus* ad Act. II, 1. an. LV.

37. Diſſ. *de natura et indole* τῆς γλεύκους ad Act. II, 13. eod. an.

38. *de Claudo a Petro ſanato*, ad Act. III, 1. eod. an.

39. De παῤῥησίᾳ *Apoſtolorum idiotarum.* eod. anno.

40. *Actorum ſociet. Lat. Ienenſ. Vol. II.* eod. an.

Quod de ſuperioribus praeſtantis huius operis dixi voluminibus, idem de hoc monendum eſt, Vol. VI, quod exercitationes a *Maianſio* Hiſpano, *Gorio, Semmlero, Reiskio* aliisque viris eruditis ad ſocietatem miſſae ornabunt, quod typis tradatur, paratum eſt, bibliopola vero hucusque eſt in cauſſa morae.

41. *De pugillaribus veterum* in vol. V. Actor. Societ. pag. 107. ſeqq.

42. Diſſ. *de ſepultura Ananiae et Sapphirae*, Act. V, 6. 10. an. LV.

43. *De diſcalceatione in ſacris.*

44. *De pugillaribus medii aeui* : in vol. V. Act. Soc. lat. pag. 180. ſeqq.

45. *Pro itu ac reditu optimi fratris Caroli Friderici votum ſoluit libens merito.* a. LVI.

Agitur de veterum Graeciae ſapientium itineribus litterariis.

46. *Antiquitates Damaſcenae Act. IX, 1 - 25.* Diſp. Ien. a. LVII.

47. Diſſ. *de Ethnarchia Iudaeorum Damaſcenorum Paullo inſidantium* Act. IX, 23. 24. *coll.* 2 Cor. XI, 32. eod. an.

48. Diſſ. *de Simone Coriario* Act. X, 6. eod. a.

49. Diſſ. *de Agabo vate* Act. XI, 28.

50. Diſſ. *de vinculis Petri* Act. XII.

51. Diſſ. *de Συντροφοις veterum* Act. XIII, 1. a. LIX.

52. Diſſ. *de Menachemo* συντροφῳ *Herodis* Act. XIII, 1. a. LIX.

53. Diſſ. *de ſpicilegio antiquitatum Lyſtrenſium* eod. an.

54. Diſſ. *de Stoicorum diſputatione cum Paullo.* eod. an.

55. *Tertium academiae Ienenſis ſaeculum fauſtis adclamationibus a Societate Latina exceptum* in Liu. XXXI, 5.

56. Στρατηγοι *Philippenſium in Paulli et Silae cauſſis* Act. XVI, 20. a LXI.

57. Diſſ. *quatuor de ſeruis veterum fatidicis* Act. XVI, 16. a. LXI.

58. *Anti-*

58. *Antiquitates Corinthiacae* Aꝺ. XVIII. eod. an.

Quas ſeparatim edidit cel. *Walchius* diſputat. in Aꝺa Apoſtolorum, eae in tribus voluminibus coniunꝺae, ſunt typis expreſſae. Plures in eamdem S. S. partem promiſit: in multis aget praecipue de re nautica veterum.

59. Diſſertatio *de potu Chriſti Seruatoris auꝺ. et Reſpond. Io. Vlrico Zorn.*

60. *Das Steinreich ſyſtematiſch entworfen.* Halle a. LXII. 8. maior.

Caſu quodam, quum Heluetus quidam amicus naturalia Italica ab eo peteret mittenda, aliaque Heluetica remitteret, cel. *Walchius* coepit rara naturae munera diligentius colligere, quorum ingentem iam multa cura multoque labore ſibi comparauit copiam, quam deſcripſit, et, ni fallimur, altera etiam pars a prelo iam exiit.

61. *Introduꝺio in linguam Graecam.* Ien. an. LXII. 8.

Libellus hic multae diligentiae, accuratae que Graecorum cognitionis in duas partes diuiſus eſt, quarum prior eſt theoretica, poſterior praꝺica. Prior vero conſtat III. capitibus, quorum primum linguae Graecae nomina, originem, hiſtoriam et fata, naturam indolemque atque praeſtantiam docet: alterum agit de fontibus linguae Graecae, de ſcriptoribus (quorum tamen nonnullos et ad leꝺionem iucundos et ad

copiam rerum et vocabulorum, ſtilique pulcritudinem perutiles, praecipue Eroticos deſideramus) de inſcriptionibus et nummis Graecis. Tertium ſubſidia linguae Graecae eorumque vſum tradit. Altera pars eaque practica linguae Graecae diſcendae, ſcriptorumque ea lingua vtentium imitandorum commonſtrat rationem.

62. *Sigillum medici ocularii Romani nuper in agro Ienenſi repertum et obſeruationibus illuſtratum. Accedunt reliqua ſigilla et inſcriptiones medicorum ocularorum veterum.* Ien. a. LXIII. 4. cum figuris.

63. Diſſ. *de philoſophia Stoica Horatii.* an. LXIV.

Auctor doctiſſ. de aliquot locis Horatianis aliter iudicaſſet, ſi elegantiſſimam *Leſſingii*, viri magni rarique ingenii, commentationem, *Rettung des Horatz*, inſcriptam, quae eſt in P. II. libr. *Kleine Schriften* appellati, antea legiſſet, aut ſuas explicationes cum *Leſſingii* ſententia compoſuiſſet. In multis enim odarum locis Horatium, arbitror, nullas philoſophorum opiniones reſpexiſſe, ſed ſcripſiſſe, vti poëta, homo ſummi ingenii, mentisque ſiue liberae ſiue hilaris ſiue compoſitae dicere ſolet. Quid enim poëtam adeo ſibi inconſtantem fingamus neceſſe eſt?

A quo tempore adceſſit ad munus Profeſſoris eloquentiae, edidit publico nomine has proluſio-

luſiones academicas, quot quidem in notitiam meam venerunt.

Progr. *de origine ſymbolarum apud veteres* in oratione anniuerſaria Auguſtanae confeſſionis memoriae conſecrata.

Progr. funeralia in obitum *Chriſt. Frid. Guil. Thameri, Saalfeldenſis*: Sum. reu. *Zeuſingenii, ſacrorum Ienenſium antiſtitis: Ioſ. Claud. Holſati.*

In ſequentibus nouum academiae Rectorem denunciauit.

Im. Iac. Alfeni, Vari leg. XXVI. digeſt. de opere libertorum ad ſemeſt. hibern. a. LIX.

De gemma dactyliothecae Gorlaei Part. I. num. 73. ad ſem. aeſtiu. a. LX.

De diis legiferis ad ſem. hiber. eiusd. an.

De Tiberio Coruncanio vet. iuriſconſulto ad ſem. aeſt. a. LXI.

Hiſtoria Aſclepiadorum veterum ad ſem. hib. eiusd. an.

De hiſtoria naturali prudentiae ciuilis magiſtra ad ſem. aeſt. a. LXII.

Praeter V. volumina Actorum Societatis Latinae curauit quoque edendos aliorum libros: nimirum

Cellarii compendium antiquitatum Romanarum, ex manuſcripto libro integrum editum et obſeruationibus illuſtratum - - Halae a. XLVIII. in 8.

Praeter exercitationes, quas adiecit cel et a nobis ſupra laudatas. Additae ſunt commen-

tationes très de aſſe Romanorum, de nomine Romanorum ex *Car. Sigonio* et *Onuphr. Panuino*, et de ritu conuiuiorum apud Romanos ex *Iuſto Lipſio.*

Bern. Oricellarii de magiſtratibus Romanorum veterum commentarius ex libro manuſcripto Florentino editus. - - Lipſ. a. LII. 4.

Nunc in concinandis introductione in N. T. atque hiſtoria litteraria aliisque ſcriptis verſatur.

Hactenus de vita, itineribus, muneribus ſcriptisque, nunc pauca de moribus et litterarum ſtudiis dicemus; qua in re ea libertate dicendi vtemur, quae virum ingenuum decet, et quam cel. *Walchius*, cuius vitae rationem ingeniique praeſtantiam per id tempus, quo Ienae litterarum cauſſa commoratus ſum, propter vſum paene quotidianum penitus perſpexi, haud in malam partem pro ſua humanitate interpretabitur. Puſilli enim paruique animi eſſe, arbitror, Suffenum eſſe et laudationibus exultare; laudi vero aliorum inuidere, iraque tumeſcere, quando vel ab aliis, licet modeſte et verecunde, reprehenditur, aut vitia quaedam animi deteguntur. Magno contra ingenio virum, in tanta ſaeculi elegantia, animaduertemus, qui ſuum cuique attributum eſſe errorem bene nouit, viderque manticae quid in tergo eſt, neque laudi reliquorum inuidere, neque aliorum dicendi libertati, dummodo à malo animo lacerandique pro-

proteruia abſit, ſuccenſere. Se quidem, ſentit, prae multis aliis hominibus elucere virtutibus, ſed non negat, ſe hominem eſſe, ſibique aliquid humanitus poſſe accidere. Se, ſcit, eruditionis ingeniique gloriam turpibus quibusdam, ſaltim illiberalibus factis maculaſſe, ſed ſtudebit hanc infamiam aliis praeclaris facinoribus abſtergere atque exſtinguere: non vitiis gloriari, quod quidem hominem prodit ſceleratiſſimum, eaue, quae vel ab aeſtu laſciuiaque ingenii vel a feruente iuuentute profecta ſint, plane negare, quouisque modo excuſare. Scelera quidem et flagitia aliorum cum effuſa quadam animi libidine recenſere atque exaggerare, vt illi ludibrio fiant, et praeclara facta reticere, ab omni humanitate abeſt, quinimo tetrum videtur atque nefas; Poggii enim et Salmaſii conuitia noſtrae aetatis vrbanitas abhorret; ſed naturalia animi vitia, aeque ac ingenii praeſtantiam, quod et ad multorum intelligentiam locorum et ad mores adoleſcentum fingendos horumque ingenium acuendum haud parum ſaepe facit, indicare, non video, quid flagitioſum ſit atque reprehendendum. Haec in mentem venerunt, quum cel. *Walchii* imaginem ſtudiaque litterarum ſimus pro virili depicturi. Officioſus eſt homo, liberalis, vrbanus, facetus atque humanus. Religioſe veneratur deum ſine vlla pompa recte et auctoritati librorum diuinorum naturaeque conuenienter ſentiendo et diſſerendo: co-

lit parentes amatque fratres ardentiſſime, quibuscum in gratiam rediiſſe numquam videtur. Diligit praeprimis academiam ſuam, in qua natus eſt, adoleuit, roburque et praemia diligentiae accepit. Nulla ineſt auaritia, nullae malae aut ſordidae in pecuniis quaerendis artes. Illiberalis hominis eſſe cenſet, in tradendis artibus liberalibus, lucri eſſe auidiſſimum; Litterarum amantes et conſiliis et re librisque commodandis iuuat. Nihil tam difficile ac moleſtum putat, quod non amicorum cauſſa libenter ac ſine omni vtilitatis ſpe faciat. Honoris laudisque valde cupidus, aliorum obtrectationem ſuique deſpicientiam aequo animo ferre nequit. In agendo ſcribendoque timidiuſculus eſt: omnes controuerſias litterarias timet reſpuitque. Atque ſi quando ab aliorum diſceſſerit iudiciis, modeſtiae et verecundiae legibus paruit. Quare quamuis ad iram facile commoueri poſſit: numquam tamen adperte adgreſſus eſt aduerſarios, de eoue inique ſentientes: priuatim vero libere ſolet dicere ſuam de aliis ſententiam, quos praecipue laudi ſuae, vel in ſermonibus familiaribus, aliquid derogaſſe ſcit atque audiuit. Simultates ideo quasdam, accepimus, inter eum et Geſnerum aliosque interceſſiſſe. Quis vero eſt, qui omnibus, cumprimis arrogantibus ſatisfacere queat: quum ne Iupiter quidem omnibus placeat. Magnam habet corporis dignitatem, multam facundiam oris-

toriſque ſuauitatem. In docendo vltra vulgaria et Grammaticam raro progreditur, propter vires plurimorum, qui praemature academias conuolant, maxime exiguas. Optimos tamen libros in tractandis ſingulis materiis indicat. Tradere autem ſolet antiquitatem et Graecam et Latinam, praecepta ſtili, litterarum hiſtoriam: interpretatur quoque N. T. libros, et, ſi ſunt, qui velint, qui vero ad modum pauci ſunt, vtriusque linguae auctores. Beatae et tenacis eſt memoriae, quae feliciter retinet quae arripuit: ingenio tamen fratri Gottingenſi; viro magnae variaeque eruditionis, cedit. Ingenii domicilium maxime poſuit in cognitione accurata veterum inſcriptionum, artis Grammaticae omnisque antiquitatis, quam diligenter cognitam habet indefeſſaque ſolertia eruere ſcriptisque illuſtrare ſtudet. Laboris patiens eſt, atque auctores vtriusque linguae pariter atque recentiores praeſertim Italos aſſidue legit, interpretatur in vſumque conuertit, id quod notae ſcriptis eius ſubiectae abunde teſtantur. Inprimis amat et commendat Ciceronem eiusque dicendi genus exprimere laborat. Picturam amat, praecipue antiquorum. Artis criticae, quae vel pulcritudinem vel emendationem ſcriptoris cuiusdam curat, peritiam in ſcriptis parum oſtendit, eius tamen gnarum eſſe, non negamus. Poëticen numquam attegit: poëtas tamen et Latinos et Graecos legit magnique aeſtimat.

Libros vero theodiſcos, praecipue Romanenſes et ſermone ligato conſcriptos, parui facit. Litterarum quidem ſacrarum et linguarum orientalium amorem non depoſuit, eas tamen non pari diligentia ac humanitatis ſtudia tractat colitque. Philoſophiae et mathematum ſcientiae iuuenis tantum tribuit temporis operaeque, quantum ad iudicium acuendum ſufficere ſibi videbatur: hinc nullius ſectae eſt aſſecla; eam vero quae a *Wolfio*, quocum auus multas habuit controuerſias, nomen ducit, repudiat. Ex omni hiſtoria, praeſertim colit hiſtoriam litterarum et naturae. Probabilis eſt orator: et quando diſputat, tanta contentio tantusque curſus verborum, et ſic euolat oratio, vt auditor ſuauiter perturbetur et veſtigia ingreſſumque vix videat. Bibliothecam habet non quidem numero ampliſſimam, ſed tamen praeſtantia et raritate egregiam, multisque libris caris refertam, praecipue in quibus inſcriptiones, monimenta et numiſmata antiqua depicta ſunt atque explanata. Sparta ſua egregie fungitur, ſuaeque academiae, eſt ornamentum.

IOAN-

IOANNES FRANCISCVS CORRADINVS DE ALLIO (D'AGLIO), *Abbas Venetus.* (*)

Expoſituris nobis vitam huius Itali, non ſine indignatione in memoriam rediit atrocitas philologorum plurimorum, qui ante duo vnumue ſaeculum, renatis magisque excultis litteris, tam ornarunt eruditione atque diligentia litteras elegantiores, quam conuiciandi libidine, et quaſi imperii in republica litteraria cupidine dehoneſtarunt humanitatem. Poggii, Scaligeri, Salmaſii aliorumque immanitatem in memoriam reuocat, morum ſeueritas atque aſperitas, conuiciandique libido, quibus Allio aeque inclauit ac doctrina ſua varia atque ingenio. Verus erat criticus ex familia Poggi quaſi ortus, cuius mores litteris humanioribus non formarentur: quique in eo ſummam laudem poneret, quando homines doctrinae atque eruditionis maxime conſpicuos, eique aequales multis dicteriis et ſcommatibus proſcinderet. Incautus atque imprudens fuit in iudicio ferendo viribusque ingenii elatus alios contemnit, nec eam habuit animi ſubmiſſionem, quae Abbatem deceret.

(*) Quae de eius vita memorauimus, ſecuti ſumus in iis illuſt. Comitem Mazzuchellum in Gli Scrittori d'Italia cioé Notizie iſtoriche et critiche intorno alle vite et alle ſcritti dei litterati Italiani Vol. I. P. I. pag. 190.

ceret. Fuerunt tamen, qui dicerent, eum hanc critices ſeueritatem acuiſſe atque exercuiſſe non arrogantia quadam libidineque inclareſcendi incenſum, vt doctus videretur, ſed ſpe quadam deceptum, fore vt Maecenates, quibus blandiretur, atque impreſſores lautis praemiis labores ornent. Atque libros in quibus alii infamantur et laeduntur, auide emi, et bibliopolis multum adferre lucri videmus. Exſpectationi vero euentus non reſpondiſſe videtur. Certe ex eo quidam coniectari voluerunt, quod tam ſordido veſtitu indutus ſaepe adparuit, vt riſui et contumeliae ſe exponeret. Saepius nulla alia re ab hominibus, qui Laici a Romanae eccleſiae defenſoribus adpellantur, dignoſci poterat niſi ſigno illo eccleſiaſtico, quod Itali vocant Collarino, atque hoc etiam haud raro non habuit. Praeterea contra omnia iura legesque inter aſſeclas pontificis Romani receptas, viduam quandam ab eo clam ductam eſſe, rumor fuit, ſed incerto auctore. Homo tamen fuit multi ingenii, multae variaeque doctrinae, linguamque graecam bene calluit, aſſiduus in legendo ſcribendoque. Haec autem reliquit monimenta:

1. *C. Valerius Catullus in integrum reſtitutus ex Manuſcripto nuper Romae reperto, et ex Gallicano, Patauino, Mediolanenſi, Romano, Zanchi, Maffei, Scaligeri, Achillis, et Voſſii et aliorum. Critice Io. Franc. Corradini de Allio in*

in interpretes veteres, recentioresque grammaticos, cronologos, etymologos, lexicographos, cum vita Poëtae nondum edita. Venet. a. XXXVIII.

2. *In primum Tomum Antiquitatum Romanarum Io. Georg. Graeuii, Critice cum Supplementis, quibus accedit Senatus Romani Topographia.* Venet. Fentius cudit a. XXXVIII. Conf. Novelle Lettere di Venezia XXXIX. e. a. p. 41.

3. *Elena Rapita di Coluto Poëta Tebano, tradotta novellamente dal Greco in verſi Italiani dal Sig. Abate Gian. Franc. Corradino dall' Aglio, con vna Prefazione critica contro le Traduzioni di Omero, Sofocle ed Anacreonte fatte dal Salvini, Marchetti Corſini, Regnier, Lazzarini, ed altri, e con uno capitolo in fine in lode del Becco a conſolazione di Menelao Marito di Elena.* In Venezia XLI. 4. Conf. Novell. cit. a. XLII. pag. 17.

4. *Satirae et Epigrammata.* Venet. a. XLI. 4.

5. *Sex. Iul. Frontini de Aquaeductibus vrbis Romae loca deſperatiſſima, quae ab criticis et interpretibus omnibus intentata relicta ſunt, ope MSS. ad veram lectionem reſtituta ab Io. Franciſc. Corradino de Allio. Critice vergit in editionem nouiſſimam Patauinam omnium optimam.* Venetiis a. XLII. 4. Recens. eſt in Novell. letter. di Venezia e. a. pag. 210.

6. *Lexicon Latinum Criticum, in quo nouae Latinae voces ex aureis ſcriptoribus et lapidibus erutae: nouae vocum ſignificationes, inflexione etc.* *quae*

quae in Theſauris L. L. vocabulariis, Lexicis omnibus deſiderantur praeſertim in Calepino Patauino ſeptem linguarum, cuius errores ingenii et eruditionis, fictitiae voces etc. notantur. Venet. e. a. 4.

Conſtat tantum pag. 102. vid. Novell. etc. a. e. pag. 178.

7. *M. Tulli Ciceronis Academica ex Codd. Mss. Beſſarionis, et Recanati caeterorumque Mss. quos vidit Lambinus, Turnebus, Manutius, Gruterus et alii ad veram lectionem reſtituta, argumentis et notis criticis illuſtrata; cum comment. omnium Ciceronis interpretum etc. contra vitioſas quot ſunt, quot fuerunt, editiones.* Venet. ſine nota a. in 8. conf. Novelle dictae a. XLIII.

Haec fere ſunt, quae de eius moribus ſcriptisque cognouerim; reliqua perſequar, quae ad vitam eius pertineant. Natus eſt Venetiis d. XVI. Sept. anno octauo noſtri ſaeculi. Pater *Dominicus Corradinus de Allio* Notarius antea fuit apud magiſtratum militarem marinum: Deinde inter eos fuit, qui vectigalia et Venetiis et extra illas curarent. Annos XII. natus in Seminarium Patauinum receptus eſt, vbi magnos fecit progreſſus in litteris Graecis et Latinis ſuaque lingua vernacula. Hic etiam philoſophiam legesque didicit, quin tamen lauream ferret doctoris. Seminario hoc a. XXVIII. relicto quatrienium commoratus eſt in academia Patauina operamque dedit ducibus eo tempore optimis et laudatiſſimis cognoſcendae theologiae ſacrae-

craeque hiſtoriae. Poſthaec abiit Bononiam, Florentiam, Sennas, Romam et Neapolin aliasque viſit academias et collegia Italica. Poſtquam ornatum et honorem Abbatis Italici conſequutus eſt, in patriam rediit, ſe totum litteris elegantioribus criticaeque ſtudio traditurus. Nimia aſſiduitas atque abundantia bilis forſan criticae, eum paene iuuenem d. 19. Mart. anno XLIII. viuis eripuiſſe mortemue maturaſſe videntur.

M. NICOLAVS SCHWEBEL,

Profeſſor Publicus et Rector Gymnaſii Onoldini, Collega Societatum Bauaricae, Roberotanae et hiſtoricae Gottingenſis.

In Franconia a renatis litteris multos fuiſſe, qui veram eruditionem aeſtimarent atque ſtudia humanitatis cum ſeuerioribus rite egregieque coniungerent, tam hiſtoria litterarum docet, quam in volumine ſuperiori recentiſſima exempla a nobis prolata; nouumque exemplum, idque luculentiſſimum, eſt *Schwebelius*, vir de graecis praecipue litteris quam meritiſſimus. Quare naſutuli illi deſinant homines cauillari, qui autument, Francos in elegantioribus litteris adhuc coecutire, in tenebrisque palpitare denſiſſimis, nihil ſcire et ſentire, quid ſit elegans, quid venuſtum, quid pulcrum: quamquam, fateor,

fateor, ingenuos illos homines in litteris reconditis et ad communem vtilitatem efficacibus, quam in ludicris ſcurrilibus ab omnique pudore et verecundia remotis, plerumque gloriam quaerere maiorem. Quid vero ſuauitatem et foecundiam ingenii magis prodere poteſt, quam peritia artis pictoriae et ſculptoriae; quae quidem, ſi alio vnquam in loco, Noribergae certe a multo tempore quam maxime floruit, et Byruthi, dum viueret diuus Fridericus, academia pictorum in ſumma fuit auctoritate? Quid praeſtantius ad honorem artium atque litterarum, quam ſummum ſtudium poëtices? Atqui, quae terra noſtro aeuo protulit homines, *Vtzio*, *Kronegkio*, *Petermanno* in Franconia natis, in illa arte aut ſuperiores aut his pares? Quot denique et quanti in Franconia exſtiterunt homines, in Latio Graeciaque domicilia quaſi conſtituentes et ad illarum linguarum honorem atque aeſtimationem quam plurimum conferentes! Ad noſtrum vindicandum iudicium in praeſenti ſubſiſtamus in enarrandis ſcriptis Schwebelianis, quae haud vulgarem antiquitatis peritiam et litterarum veterum cognitionem teſtantur, additis paucis de eius vita et conſuetudine.

Quum Altorfii Noricorum litterarum cauſſa verſaretur, ſub Praeſidio *Schwarzii* defendit CIↃ IↃCC XXXV. *ſpicilegium ſecundum* ad *Panegyricum Plinii*.

Poſt

Poſt duo annos et peregrinationes litterarias abſolutas ibidem pro ſummis in Philoſophia honoribus impetratis, moderante prof. *Kelſchio* ventilauit diſputationem de *Variis modis numerum enuntiandi.*

Pro facultate docendi diſputauit anno CIƆIƆCCXXXX. *de Ioue* πολιεχῳ ad illuſtr. Act. XIV, 13. Altd. *Carmen Gratulatorium* graecum in honorem Duumviri Hieronymi Guilielmi Ebner ab Eſchenbach, quum S. R. I. eques diceretur. Altdorf. CIƆIƆCCXXXXII. Fol.

Bionis et Moſchi Idyllia ex recenſione Nicolai Schwebelii cum eiusdem animaduerſionibus. Accedunt Vrſini, Vulcanii, Stephani, Scaligeri, Caſauboni, Heinſii, Xylandri, Palmerii, Longapetraei notae, vt et verſiones metricae Gallica Longapetraei et Latina Whitfordi cum duobus indicibus. Venetiis typis et ſumtibus Io. Baptiſtae Paſchalii CIƆIƆCCXXXXVI. In prolegomenis agit Vir cel. de tribus ex mente veterum vitae humanae gradibus, naturali, paſtorali et agraria; de vitae paſtoralis apud veteres dignitate et praeſtantia; de ficto paſtorum, cum diis commercio; de foeminis et regibus, illi vitae intentis; de diuitiis pecorum; de antiquiſſimo vſu, monetas pecoris imagine inſignendi; de variis paſtorum generibus; de paſtoralis carminis origine; diuiſione, metro ſtilo et dialecto; deinde oſtendit Theocriti, Bionis et Moſchi λείψανα non eſſe mere paſtoralia; tum

carmina bucolica olim in vnum corpus fuiſſe collecta; denique breuiter deſcribit vitam Theocriti, Bionis et Moſchi: haec omnia 24 ſectionibus vel paragraphis contenta multisque veterum teſtimoniis ſuffulta docte atque diligenter enarrantur; ſed ſi, quid nos de hoc labore ſentimus, libere dicere debemus, quaedam hic occurrunt, quae nobis vulgaria, aut iniquo loco poſita videantur. De carminibus ſuauiſſimorum poëtarum notisque, Schwebelius ſpe codicum manuſcriptorum conferendorum, praeter vnicum ex bibliotheca publica Auguſtana cum illo communicatum, in quo tamen Europa Moſchi tantum fuit deſcripta, eaque litteris valde exeſis neque integra, deiectus eſt; quare in reſtituendo, quem vocant, textu, Longapetraei exemplum cum principe Aldi Manutii, deinde Vrſini, *Vulcanii*, *Stephani*, *Heinſii*, *Whitfordi*, *Wintertoni* exemplaribus diligentiſſime contulit, et lectiones varias ſollerter adnotauit. Integris notis virorum ſupra laudatorum ſuas adiecit, in quibus vel de locis male affectis ſobrie iudicauit, vel adlatis et Latinorum et Graecorum locis verba Bionis et Moſchi adprime illuſtrauit, eorumque pulcritudinem docuit, quam maxime autem veritatis eſt in explananda antiquitate, quum in his ſuperiores editores iuſto parciores ipſi viderentur. Quare nihil plane intactum reliquit, quod vel obſeruatione dignum vel lectori haud ingratum fore

fore arbitratus eſt. In emendando textu caute ſobrieque verſatus, ab eorum more vel potius ſaeuitia et tyrannide longe abeſt, qui ſe tum de auctore quodam bene mereri cenſent, quando in commutando et in corrumpendo non dicam emendando auctore ingenii ſui vires linguaeque peritiam poſſint palam facere. Quidquid igitur eorum palato non eſt, ſecare, vrere omniaque vaſtare ſolent ſine vlla codicis manuſcripti opera, ſui ipſius ingenii bonitate ſatis audacter confiſi. Noſter contra in eo potiſſimum fuit, vt, quantum fieri potuit, vulgatam lectionem raro de ſuo moueret loco, ſed potius ab aliorum criſi iniuſta vindicaret ſuoque auctori ita reſtitueret, vt iudicium vſu firmatum et, ſubactum calidamque Graecae linguae peritiam declararet. Quoniam vero haec editio non in omnibus forſan eſt manibus, duo triaue ex Idyllio Bionis octauo proferemus exempla, ex quibus, quid Schwebelius praeſtiterit, aliquantum cognoſci poterit. Verſ. octauo paſtor Myrſon canit: Πῶς παιςέσσατο φᾶρος, ὅπως δὲ ἐγέυσατο μορφάν. *Quomodo puer induerit peplum et quomodo guſtauerit formam.* Canterus hic pro ἐγέυσατο mauult ἐψεύσατο. Vulgatam tamen *Schwebelius* lectionem Canterianae ſatis commodae praefert. Achilles enim, inquit, quum vix nouem annos natus ad Lycomedem perueniſſet, merito in Deidamia γευσασθαι μορφὰν formae pulcritudinisque vim atque robur primum expertus

 fuiſſe

fuiſſe creditur, eumque verborum ſenſum deprehendit: "Cane mihi, Lycida, quomodo Achilles amore primum captus, Deidamiae formam delibare tentarit": ad quam interpretationem corroborandam et hanc verbi γευσασθαι ſignificationem haud infrequentem fulciendam prouocat ad *Longi* paſtoralia I. pag. 18. vbi eſt γευομενος τῶν ἔρωτος ἔργων et lib. II. pag. 53. vbi leguntur γευσάμενοι τῆς ἐν Φυλήματι τερψέως; denique ad *Moſchum* in Megara v. 12.

'Ουδὲ τόσον σφετέρησιν ἐγέυσατο Φροντίσι Κηδέων.

Illa explicatio quamquam ingenioſa eſt nobisque placet, ex aſſe tamen, ſi, quod verum eſt, confitemur, nobis nondum ſatisfacit: nobis quidem non ſolum notio vſusque vocabuli γευσασθαι, ſed dictionis potius γευσασθαι μορφαν hoc loco declarandus videtur; niſi forte ex altero *Longi* loco aliquid ſubſidii atque medicinae inſano noſtro loco adferatur. Ita vero noſter aliis adhuc in locis horum poëtarum; et alii editores veterum, quinimo complures in illuſtrandis N. T. verbis agere ſolent, vt vſum ſingulorum verborum; non, totius formae et dictionis auctoritate aliorum ſcriptorum vindicent atque explanent. Cl. *Schier* vero in nouiſſima horum poëtarum editione, Canteri emendationem certiſſimam; vulgarem contra lectionem ἐγευσατο nullo plane ſenſu eſſe pronunciat. Difficiliores autem fuere verſus ſequentes octauus et nonus

X' ὅπως

X' ὅπως ἐν Κώραις λυκομηδίσιν ἀπαλέγοισα
'Αγδηνητ' ἄπαςὸν Αχιλλέα Δηϊδάμεια λυκίδας
Quaque ratione inter Lycomedis puellas ſtudioſe
Faſtidierit nondum ſibi ſatis cognitum Achillem Deidamia.

Hanc Vrſini lectionem cum Scaligero; qui coniecerat eſſe legendum

X' ὢπώς ἐν Κώραις λυκομηδίσι θάλπ' αλέγοισα
'Ακμηνον, παὶ ἀπαςὸν Αχιλλέα Δηϊδάμεια'

reiecerunt *Io. Heſkin* in edit. ſua Oxonienſi, longe praeſtantiſſima 1748 et cl. *Schier:* neque tamen Heſkinio omnino placuit emendatio Scaligeriana, ſed totum obſcurum locum ita reſtituiſſe ſibi videbatur, quem etiam cl. Schier ſequutus eſt, vt legeret:

X' ὤπως ἐν Κώραις λυκομηδίσι θαλπ' ἀλέγοισα
Αϊδη ἠδὲ ἄπυςον 'Αχιλλέα, Δηϊδάμεια
Et quomodo in filiabus Lycomedis fouebat ſedulo curans
Obſcurum et inauditum Achillem Deidamia.

Quid de hac Heſkini emendatione ſentiat cl. *Schwebelius*, quum illa editio ſuam ſubſequeretur, equidem neſcio. Scaligeri ſaltim et Longopetraei, qui Αγδηνητ' ἀπαςὸν non ſatis pulcre mutauit in ἀκλειῆ και ἄπυςον, coniecturas, vel potius, vt ipſi videtur, audaciam carpens, pro antiqua Vrſini lectione militauit. Duas igitur

has voces ἀπαλεγειν et ἀηδαινειν eſſe ἀπαξλεγόμενα, ſuoque auctori quaſi propria, et ἀπαλεγειν pro ſimplici verbo ἀλεγειν; ἀηδαίνειν vero pro ἀηδεῖν poſitum eumque horum verſuum ſenſum eſſe arbitratur. "(Cane etiam) quomodo Deidamia inter filias Lycomedis, Achillem primis amoris initiis, antequam congreſſum familiariorem cum ipſo habuiſſet magno ſtudio faſtidierit". In refutatione ſua pág. 44. ita inſtituit hunc locum:

> Χ' ὤπως ἔν κώραις λυκομηδίσιν ἐκ ἀλέγοισα,
> Αηδήση τ' ἄπαςον Αχιλλέα Δηιδάμεια
>
> *Et quomodo inter Lycomedis filias Achillem antequam familiorem cum eo congreſſum habuerit neglectum faſtidierit Deidamia.*

Vltimum adſcribere iuuat locum verſ. 24.

> Στόμα ἀνὰ καλὸν ἄειρε, τα δ' ἅδεα δάκρυ' ἐπήνει
>
> *Os pulcrum attollebat, ſuauesque lacrimas laudabat.*

Huic tamen lectioni tam verſum quam ſenſum contradicere et ſecundum coniecturam Vrſini, quam Longapetraeus quoque comprobat, σῶμα legendum cenſet. Ex his videmus continentiam, modeſtiam ac verecundiam *Schwebelii* in edendis veterum monimentis, quam Criticis ingenio ſuo intemperanter abutentibus plurimis deeſſe dolemus. Indicem excipit verſio gallica

Lon-

Longopetraei (*) cum eiuſdem adnotationibus bonae frugis; pleraque autem e veteribus adlata, imperfecta excitantur et vix vnquam, vnde deſumta ſint, indicantur. Heſkinius autem omnes fere illius animaduerſiones in latinam linguam tranſtulit, quod quidem, vt in ſua praefatione ait, non ſine taedio fecit ſuisque immiſcuit. Verſioni latinae metricae *Dauidis Whitfordi*, Scoti, quae vltimum locum occupat, nullae ſubiunctae ſunt animaduerſiones. Laudatur haec editio propter vtilitatem et foecunditatem ingenii non magis quam ſplendorem chartae in ephemeridibus litterariis Hamburgenſibus, Ratisbonenſibus et Lipſienſibus anno 1746; Erlangenſibus a. 1751. In nouis vero actis Eruditorum Lipſienſibus A. 1751. n. XV. pag. 696. atro notatur calculo: ſed enim cenſor dictatorem agit imperioſum atque ſuperbum; et petulanter laſciuit, pro arbitris iubet vetatque; denique inſigni faſtu ac ſupercilio plurimas Schwebelii notas tam criticas quam antiquarias tanquam viles omnibusque in triuiis vulgatas fabulas arroganter contemnit. Nos quidem, quamuis morem illorum refugiamus, qui in notis compendium antiquitatis conſarcinare

(*) *Longopetraeus* edidit Pariſiis 1686. apud Petrum Aubouinum in 12. Les Idylles de Bion et de Moſchus traduites de Grec en vers François avec de Remarques par Longopierre.

nare potius quam verba auctoris obſcuriora illuſtrare ſatagunt, in eo tamen alios peccare modumque excedere cenſemus, qui in notis ſuis Criticos eosque haud raro ſteriles et inſanos plane agunt nihilque ex antiquitate, quod lucem adferat, depromunt. Ecquis enim praeſertim tirones, quin etiam haud raro, qui ſe aliquid eſſe autumant, totam antiquitatem ita tenet, vt omnia, quando velit opusue habet, ex memoria ſua tanquam ex penu locupletiſſimo depromere poſſit? dubitarene an ſemper, vbi haeret, ad Nieupoortium, Hedericum, aut Pitiſcum confugere debet? Satietati igitur, quae inde omnino oritur, occurrere; at in hoc genere caute et prudenter verſari debet editor, quae faciliora aut vulgaria videantur, vel plane omittat vel breuiter explanet; difficiliora autem vberius perſequatur, neceſſe eſt. Nec equidem praeſtantius ad vſum atque imitationem vidi recens exemplum, quam Tibullum a vir. cel. *Heynio*, Gottingam nunc ornante, ante aliquot annos illuſtratum ac publicatum. Copioſus index libro ſubiunctus querelis ab vtraque parte vltra modum agitatis, quam optime mederi poteſt. Quare iniuſte egit cenſor ille acerrimus, quisquis eſt, quem quidem tunc temporis vix adoleſcentiam excediſſe, ex ipſo Schwebelio audiui, (cui nomen tamen ignotum fuit, nec hoc incrementum Apollinis carum comperire voluit) quod in humaniſſimum Schwebelium

lium adeo iniuſtum ſe geſſerat: etiam ſi non negem, quaedam ex antiquitate iuſto copioſius eſſe explicita: cenſorem autem caſtitas, verecundia et pudor; non intemperantia linguae et ferocia: ſcripta aliorum ex vero diiudicare et aeſtimare, veritatem ſine vllo partium ſtudio proponere, non: maligno animo ſugillare, auctorisque famam quocunque modo rodere de lanaue caprina rixas ſerere, de cet. Quare *Schwebelius*, cuius quidem ingenium ab omnibus rixis quam maxime alienum eſſe, probe ſcio, non potuit ſuam aeſtimationem non defendere. Edidit igitur:

> *Refutationem cenſurae ineptae, quam anonymus quidam cenſor actis eruditorum Lipſiae excuſis aduerſus Bionis et Moſchi idyllia, Venetiis apud Paſchalium A. MDCCXLVI. edita, inferendam curauit auctore M. Nicolao Schwebelio P. P. et Gymnaſ. Aeg. Rect.* in 4.

in qua cuneus cuneum trudit, et cl. Schwebelius cenſori ſuo inſolenti non ſolum ſcholas aperuit criticas et grammaticas ſed etiam crimina quam optime diluit, praecipue quod cenſor Schwebelium bonam partem prolegomenorum ex lectionibus Heinſii Theocriticis compilaſſe, calumniatus eſt. Aeſtuante quidem animo, turpiter autem laceſſitus, dure ſcripſit ſuumque aduerſarium immane quantum tractauit multaque cum bile ludificauit Schwebelius; quem tamen,

ſcimus, nunc maxime abhorrere ab hoc procaci ſcribendi ſuique nominis vindicandi genere. In Zurcher freymuthigen Nachrichten 1752. pag. 285. a Breitingero haec refutatio indicatur et auctor Lipſienſis merito culpatur.

Carmen graecum in I. Adam de Geuder. Fol. 1755.

Praefatio ad Io. Sal. Semleri miſcellanearum lectionum, in quibus multi ſcriptores aut emendantur aut illuſtrantur. Faſcil. II. Norib. 1749. 8. In hac praefatione ſanam criſin veterum ſcriptorum laudibus euexit.

Programma de ſingulari ſupremi Numinis prouidentia in propagandis conſeruandisque Gr. Literarum ſtudiis. Norib. 1750.

Notitia nouae editionis Onoſandri, ſcriptoris Tactici, quae cum notis variorum atque harmonia Strategicae veteris ac nouae in lucem prodibit. Noribergae cura et ſtudio Nic. *Schwebelii* impenſis Georg. Lichtenſtegeri 1751. 4to. Poſtquam vero Lichtenſtegerum huius laudabilis conſilii, neſcio quam ob cauſſam, forte propter multas impenſas faciendas, more bibliopolarum, poenituit; cl. Schwebelius, quod quidem multi docti veri dolebunt, conſilium abiicere, et praeter notas variorum etiam harmoniam ſtrategicam omittere cogebatur. Ne vero omnis labor, quem impenderat, eſſet incaſſus, praecipue quum *Oudendorpius* aliique viri doctiſſimi ad maturandam editionem incitarent,

eoque

eoque cunctationem et tarditatem vincerent, edidit Onoſandrum huius inſcriptionis:

ΟΝΟΣΑΝΔΡΟΥ ΣΤΡΑΤΗΓΙΚΟΣ. *Onoſandri Strategicus ſiue de imperatoris inſtitutione, ad Codd. MSS. fidem expreſſus et ex antiquorum Tacticorum potiſſimum collatione notis perpetuis criticis emendatus, nec non figuris aeri inciſis illuſtratus. Accedunt duo indices, vnus rerum, alter verborum et locutionum Graecarum, vna cum verſione Gallica Lib. Bar. de Zurlauben etc. ad calcem libri adiecti cura et ſtudio Nicol. Schwebelii.* Impenſis Georg. Lichtenſtegeri Calcographi Norimb. Norimbergae ex officina Chriſtian. de Launoy A. 1762. Fol. Laudatur hic elegans liber in ephemerid. Erlangenſ. et Göttingenſibus, in quibus tamen poſterioribus cenſor, quem *Klotzium* v. cel. fuiſſe ſcimus, quaedam culpat. Idem ille in ſuis actis litterariis vol. I. P. I. pag. 22. hunc librum indicat additis quibusdam monitis. *Rigaltius* Onoſandrum primus e codicibus manuſcriptis edidit, cuius exemplar reliquae omnes nullis antiquis libris adhibitis adornatae ſequuntur, praeter quod *Portus* ſolius ingenii ope loca quaedam corrupta reſtituere conatus eſt. Praeter quatuor igitur codicum varias lectiones, quas exemplar exhibet Rigaltianum noua adhibuit ſubſidia, codicem, chartaceum quidem et recentiorem, e veteri autem libro Vaticanae bibliothecae deſcriptum, alterumque eiusdem generis. Praeterea

ea accepit varias codicis Florentini lectiones; atque opera Fr. Oudendorpii, ad quem frequentes miſit noſter litteras, e bibliotheca Lugdunenſi, emendationes Ioſephi Scaligeri et Iſaaci Voſſii. Haec fuere adminicula, quibus inſtructus doctiſſimus *Schwebelius* Onoſandri verba corrupta emacularet, aut male intellecta et temere exterminata reſtitueret, animaduerſionibusque, quae inſignem diligentiam vtilemque Graeci ſermonis et antiquitatis ſcientiam produnt, in quibus vel de verborum vi et ſignificatu diſputauit vel antiquos ritus, eaque quae ad rem militarem veterum intelligendam conducerent, illuſtrauit bene explanaret. Quamuis vero in ipſis codicibus bonam partem lectionum plauſu dignarum, reperiret, é quibus *Klotzius* praecipue laudat p. 3. n. 9. 10. p. 6. 16. p. 8. 24. 26. p. 21. 39. p. 22. 4. p. 23. 6. p. 47. p. 64. 3. aliisque in locis; Homerum tamen, Herodotum, Thucydidem, Xenophontem hujusque inprimis Cyropaediam et Polybium, quos, animaduertebat, Onoſandrum ſequutum atque imitatum fuiſſe, diligenter euoluit, et ex ſimilibus locis comparatis veram lectionem reuocauit. Atqui a multis abhinc annis ab ipſo *Schwebelio* humaniſſimo mihi narratum memini, ſe ad abſolutam Onoſandri reliquorumque Tacticorum editionem curandam, plurimos perlegiſſe ſcriptores, quos huc aliquid facere arbitratus fuit. Illi igitur profuerunt au-

ctores

ctores memorati: et ex reliquis Tacticis, quos Onoſandro vel aequales fuiſſe conſtat vel recentiores, et quos diligenter conſuluit, multa hauſit, quae et ad illuſtrationem veteris Strategicae, et ad emendationem locorum Onoſandri male affectorum facerent. Sunt autem, quos in ſubſidium vocauit, Arrianus, Aelianus, Iulius Africanus, Polyaenus, Mauricius, Leo, Conſtantinus Porphyrogenneta; e Latinis Frontinus et Vegetius. Praeterea quum obſeruaſſet, et Tacticorum hunc quaſi proprium fuiſſe morem, vt ſe mutuo exſcriberent, et omnes prope recentiores Onoſandri libros magis minusue compilaſſe; praecipue autem Leonem omnia fere Onoſandri in ſuum transtuliſſe opus, ex illis et praecipue e Leone aliquoties egregias reuocauit lectiones. Duplex additus eſt index; rerum alter, alter verborum et loquendi formularum. Adiuncta eſt, tanquam ſingularis libellus, interpretatio Gallica, auctore *de Zurlauben*, tribuno militum in exercitu regis Galliarum. In elegantiſſimo tamen hoc diligentiae atque ingenii Schwebeliani opere ſunt, quae cel. *Klotzius* notet; at, vti poſtea videbimus, re non ſatis cognita. Quaedam igitur, quae librum cariorem, nec tamen vtiliorem reddant, nempe figuras, quibus liber diſtinctus eſt, ſiue numi ſint ſiue aliae imagines et obſeruationes quasdam Grammaticas nimis peruulgatas, vt cl. *Schwebelius* omiſiſſet optat ille cupitque. At enim de figu-

ris

ris quas addere debuit, conſuetudinem bibliopolarum Noribergenſium neſciuit. Nullus enim illius vrbis artifex ſiue picturae ſiue aenearum imaginum caelandarum vllum librum ſuis ſumtibus prelo emittere debet, niſi certo quodam figurarum numero addito, ne res bibliopolarum detrimenti quid capiat; hinc etiam vt Lichtenſtegerus, chalcographus celebris Noribergenſis, ſuis ſumtibus Onoſandrum publicaret, debuit eum figuris exornare. At enim de harum delectu, et obſeruatiunculis grammaticis nihil habeo dicere, quo excuſem, praeter quod in magna lectorum diuerſitate diuerſorum ingeniorum ratio habenda mihi videatur. Haec autem Onoſandri editio multis harum litterarum arbitris ita probata fuit, vt Schwebelium ad reliquos ſcriptores Tacticos publici iuris faciendos excitarent, eique collationes codicum Manuſcriptorum promitterent; quorum conſilio commotus, reddita pace, anno LXIV. huius ſaeculi notitiam nouae editionis Vegetii et reliquorum ſcriptorum, quos ſubinde publicaturus eſt, formulis typicis exſcribendam curauit. Paucitas tamen, qui ſubſcriberent ſiue vt loqui ſolent, praenumerarentur, et quod promiſſam codicum Manuſcriptorum, qui in bibliothecis Pariſienſibus et Londinenſibus latent, collationem, cuius quidem nanciſcendae ſpe nunc depulſus videtur, diu deſiderauit, editionem adhuc retardauit. Poſtquam vero patrocinio cura-

taque ſummorum virorum collationem accepit trium codicum, qui in bibliotheca ſplendida Guelphertina adſeruantur, et in quibus eſt membranaceus ſeptingentorum annorum, e bibliotheca Gudiana in illam Guelphertinam translatus, non diutius continebit ſed iam manum admouit ad opus illud diu deſideratum abſoluendum atque edendum. Praeter notas criticas et antiquarias, item variorum ſelectas et figuras aeri inciſas, harmoniam ſtrategicorum veterum addet. *Lamberti Bos Ellipſes Graecae, ſiue de vocibus, quae in ſermone Graeco per Ellipſin ſupprimuntur cum doctorum virorum Chriſtiani Schoettgenii, Io. Georg. Sam. Bernholdii, Io. Friderici Leisneri obſeruationibus, quibus et ſuas adiecit M. Nicol. Schwebel*, P. P. et Gymnaſ. Noriberg. Rector, ſocietatum academiae Imperialis Roboretanae, et Electoralis Bauaricae ſcientiarum collega. Norimberg. typis et ſumt. hered. Adami Ionath. Felſeckeri A. CIↃ IↃCC-LXIII. mai. Octer. Liber hic vtiliſſimus iam pridem ita conſueuit, vt ſine praefatione intelligatur: et, quae ſtudio *Schwebelii* noua adceſſerint ornamenta, haud difficulter nemo non perſpiciet. In praefatione oſtendit cauſſas, quibus adductus fuit, vt crederet, haec ſupplementa cum vtilia fore tum neceſſaria; quamquam cl. Klotzius in ephemer. Gottingenſibus, vbi recenſuit, aliter ſenſit, multa facilia intellectu, et ex συμφυια graecae orationis eruta arbitra-

bitratus. Inter ea laudabilis eſt diligentia ſtudiumque, quod concentum graecae et latinae linguae in ſupprimendis quibusdam vocabulis magna exemplorum copia oſtendit. Paulisper ante quam haec editio adumbilicum ducta fuit, praeter ſpem atque exſpectationem Londini ab *Elia Palaireto*, qui *Ioanni Bangorae* Londinenſium Epiſcopo a ſacris, et in regia aula vicarius eſt, et qui Onoſandrum Schwebelii huiusque notitiam nouae parandae editionis Ellipſium Graecarum apud quemdam, quocum Schwebelius commercium habet litterarum, viderat, accepit litteras, in quibus ſuam operam in Epheſiacis Xenophontis memorans, ſupplementa, quae ad augendum et publicandum Boſii libellum collegerat, obtulit, quae Schwebeliana exemplo insererentur. Quum vero nihil praeter indicem ſupereſſet quod typis exſcriberetur, Schwebelius Palaireti collectanea adpendicis loco edere voluit et hoc quoque incaſſum fuit, nec bibliopola ſuſcepit, quod Palairetus pro ſtudio et labore plus numorum exegit, quam Felſeckerus, cui ratio eo conſtare non videbatur, pendere decreuit. Duobus abhinc annis poſt editionem Schwebelianam noua in bibliopolio orphanotrophaei Halenſis parata fuit, additis notis, quas cl. Chriſt. Benedict. Michaelis ex LXX interpretibus nouoque Teſtamento, ſuo exemplo forte adleuerat, et omiſſis Schwebelianis, ſane vilioribus. Illud enim non eſt opus

perfe-

perfectum abſolutumque nec a Michaeli publico vſui deſtinatum. Quare tantum abeſt, vt lima ſatis fuerit attrita et ſplenduerit, vt ne vlla quidem addita videatur.

Notitia ſupplementorum ad cl. Montefalconii Antiquitates Graecas et Romanas. CIƆIƆCCLXIV. Gorii Muſeum Romanum et Etruſcum, more Schatzii, in compendium redigere, cuius quidem conſilii ven. *Semlerus* in praefatione ad Montefalconii antiquitates a Schatzio contractas, mentionem iam iniecit, ſecum conſtituit, nec illius opera propter caritatem Goriani operis laude defraudanda eſt. Atque, quantum noui, duae treſue plagellae lucem adſpexerunt. Nunc in eo verſatur, vt praeter libros ſupra memoratos graecum lexicon in vſum Scholarum condat.

Onoldini conſcripſit proluſiones ex philologiae potiſſimum fontibus illuſtratas ab anno CIƆIƆCCLXIV.

1. *De ſummi numinis bonitate.*
2. *De Euergetis.*
3. *De* Σωτῆρος *titulo apud veteres vſitato.*
4. *De veterum* Χαμευνίᾳ.
5. *De turpiſſimo calumniae vitio eiusque effectibus.*
6. *De quibusdam vocibus ac ritibus ex veteri militia deriuatis.*

Haec ſunt luculenta ingenii Schwebeliani documenta. Supereſt, vt reliqua, quae ad

vitam viri celebr. pertineant, recenſamus. Natus eſt Noribergae die XIX. menſis Auguſti A. C. CIↃ.IↃCC XIII. patre Ioanne Georgio, molitore, viro honeſto, matre Apollonia nata Kuhnin, quam tamen anno tertio aetatis ſuae amiſit. Patre vſus eſt indulgentiſſimo, qui filiolum a primis annis, litteris, quibus imbui ſolet aetas puerilis, arteque Muſica, cui, in chorum muſicum poſtea receptus, totam paene conſecraſſet aetatem, inſtituendum curauit. Amore tamen litterarum, quo admodum adoleſcens iam flagrabat, et conſilio patronorum, quorum fauorem et patrocinium peritia artis muſicae ipſi conciliauit, excitatus, totum ſe doctrinis tradidit; cuius obſequii eam nunquam poenituit; praecipue quum patroni eius inopiae quouis modo ſuccurrere in ſe reciperent, inque fidum et eruditum incideret noſter doctorem, *Ioannem Martinum Schmidtium*, diaconum aedes diuae Mariae, qui animum noſtri adoleſcentis et *Nagelii*, aequalis, cuius vitam ſuperiori volumine deſcripſimus, artibus ad humanitatem informauit. Poſtea ſpatium ſcholaſticum emenſus, ciuibus adſcriptus eſt auditorii maioris Aegidiani; ad quod conſtituendum *Dilherrus*, qui primus Profeſſor theologiae et philologiae in eo fuit, plurimum contulit. In hoc igitur celebri bonae mentis domicilio interfuit praelectionibus Ebraicis *Hofmanni*; Latinis et Graecis *Negeleini*; Mathematicis *Doppelmayeri*, et *Moerli*, quan-

quando orbis vniuerſi deſcriptionem aut doctrinam morum docuit. Anno autem triceſimo ſecundo huius ſaeculi vitam ſcholaſticam commutauit cum academia, eumque in finem Altorfum abiit, vbi tres annos *Schwartzium* ſedulo audiuit ſiue litteras, quae ad humanitatem pertinent, ſiue hiſtoriam imperii Romani, ſiue Ius naturae, ſiue artem orandi et poëſeos; *Kelſchium* vero principia matheſeos tradentem. E ſcholis *Bernholdi* hauſit intelligentiam Graecae et Syriacae linguae adcuratam. *Feuerlinus* praeiuit in cognoſcenda litterarum hiſtoria, et iudicio ope philoſophiae acuendo: *Koelerum* audiuit fata regnorum, non minus quam antiqui orbis enarrantem: *Treſenreuterus* denique, qui poſtea Adiunctus Directoris Gymnaſii Coburgenſis vita deceſſit, ei rhetoricen tradidit. Haec tamen academia non ſuffecerat, quae ſitim exſtingueret; quare alias cogitauit: et poſtquam Lipſiae notatu memorabilia viderat, Wittebergam petiit, vbi amori humanitatis priſtino indulgens *duce Bergero* in omnibus ſcholis rhetoricis et philologicis, quas vir hic in litteris conſumatiſſimus et elegantiſſimus aperuit, frequens adfuit: eoque iucundior fuit Bergero, quo maius pondus apud hunc habuit auctoritas et commendatio Schwartzii et inſignis artium et diſciplinarum libido quam in iuuene Schwebelio cognouerat. Praeterea frequentabat recitationes *Zeibichii* theologicas, et exegeticas: *Haferun-*

gi exegeticas librorum quorundam noui foederis; philoſophicas *Baumeiſteri*, qui eo tempore collegio philoſophorum fuit adiunctus, et denique *Weidleri* mathematicas. Anno integro Wittebergae in litteris librisque conſumto, Ienam contendit, vbi *Reuſchium* in proponendis religionis noſtrae veritatibus; *Ruſſium* in linguis, quae ab Oriente nomen habent; et *Reckenbergerum* in antiquitatibus ſacris habuit doctores. Quinque igitur annos poſtquam in his litterarum vniuerſitatibus Muſis litauit, patriam rediit, vt largam colligeret meſſem praemiaque laboris, diligentiae et vigiliarum acciperet: nec ſpe excidit. Primum autem fuit laurea philoſophica, qua, diſputatione ſub moderamine *Kelſchii* de variis modis numerum enuntiandi, habita a. XXXVII. Altorfii ſollemniter ornatus eſt. Anno quidem ſequenti, quamquam commendante b. Doct. *Treſenreutero* Viennam inuitatus abiit, vt filioli vnici, opulenti cuiusdam et celebris argentarii, de *Falcken*, moribus et ingenio formandis praeeſſet; non diu tamen ibi manere; ſed ſuaſu patronorum Noribergam repetere decreuit, non ita multo poſt a. XL. Altorfi habita pro facultate docendi de *Ioue πολιέχω*, diſputatione, inſpector Alumnorum atque Oeconomiae dictus. Quam prouinciam, vbi tres annos et ſex menſes adminiſtrauit, anno XLIII. Noribergam euocatus, et Rector Gymnaſii Aegidiani conſtitutus eſt. Quo in muncre anno

CIC-

CIↃ IↃCC XLV. domum duxit *Mariam Euam Schurerin*, foeminam, qua nihil vnquam feſtiuius atque amabilius vidi, dignamque *Schwebelio* homine venuſto atque eleganti. Nec ſterile fuit hoc matrimonium: at ex XI. liberis quatuor adhuc ſunt ſuperſtites. Voluptatem vero hanc, quam ex coniugio cepit, auxit nouum Profeſſoris *Linguae Graecae* in eodem Gymnaſio munus, quod an. L. oratione de *varia Graecae linguae fortuna ab antiquioribus iam inde temporibus ad Caroli M. vsque tempora* capeſſiuit, praemiſſa proluſione de *ſingulari ſupremi Numinis prouidentia in propagandis conſeruandisque Graecarum litterarum ſtudiis*, qua ad audiendam illam orationem inuitaret. Fama autem huius viri anguſtis patriae aut Germaniae limitibus non circumſcripta fuit, ſed ad exteros quoque peruenit, magnaque cum laude celebrata fuit; quod quidem haud exiguum leueque noſtrorum laborum praemium eſt atque ſolatium. Atque quomodo aliter fieri potuit, quum vel editio Bionis et Moſchi ei multum apud Germanos non minus quam apud Italos Batauosque, quibus iam vſu litterarum frequentiſſime amploque fuit notiſſimus, pararet auctoritatis. Hinc etiam factum eſt, vt a. LVIII. a ſocietate imperatoria Roboretana, et a. LXII. a ſocietate Bauarica; denique a. LXV. a ſocietate hiſtorica Gottingenſi, quae auctore celebr. *Gatterero* inſtituta eſt, praeter ſpem atque ex-

ſpectationem publicis litteris inter ſuos collegas reciperetur. Illa autem fama eruditionis et in docendo dexteritatis effecit, vt aliae eum ſibi expeterent ciuitates. Nec habuit Schwebelius, quod multum renueret, quoniam munus, quo Noribergae ſumma cum fide functus eſt, ſcholaſticum amplum quidem et honorificum; at moleſtum, et ſalarium annuum exiguum, nec caritati rerum noſtra aetate ſufficiens, nec laboribus et meritis viri, qui in puluere ſcholaſtico ſeneſcere coepit, par fuit. Atque iuſta eſt querela, homines, qui pro patria quam moleſtiſſimos ſuſcipere labores, plurimumque adferre ſolent emolumenti, vulgo quam minimi aeſtimari, et inopia rerum atque penuria maxime laborare. Poſt obitum igitur Geſneri ſpes noſtro adfulſit, meliore et honeſtiore vitae conditione in ſplendiſſima luce litterarum Gottingae fruendi; quae vero poſtea, neſcio quo fato euanuit; atque illius deſiderium eripuit alteram conditionem eamque opimam a curatoribus Gymnaſii Ratisbonenſis oblatam, vt Rectori Drümmelio, a noſtris ſacrorum caſtris ad Papicolas transfugienti, ſuccederet: Schwebelio enim diu incerto atque haeſitante, Ratisbonenſes alium delegerunt. Ita autem viſum eſt ſupremo numini, vt noſter inconſtantiam fortunae et humani conſilii cognoſceret. Franconiae enim, patriae ſuae, cui omnia accepta refert, vt omnia quoque officia vel prouecta aetate

tate praeſtaret, placuit ſummo rerum arbitro. Decedente igitur munere ſuo, *Iungheimio*, Onoldinum ad moderandum celebre Carolinum euocatus et ſub honeſtiſſimis conditionibus, quae difficultates muneris lenirent, Rector et Profeſſor dictus eſt. Quare abdicans à munere ſuo collectis ſarcinis Onoldinum cum ſuis demigrauit, vbi adhuc fortuna ſua laetus viuit, animique vigore omnes moleſtias ſuperat ſuſtinetque.

Placido enim eſt animo, cuius virtute diu iam vitae ſcholaſticae adſuetus, et amore iniurias aliorum vincere, et lenitate offenſas tollere menteſque immorigerorum iuuenum ſubinde regere haud neſcit. Mirum enim quantum abhorret a ſeueritate iraque crudelium Orbiliorum. Iam vero ex vultu elucet ſuauitas quaedam cum verecundia, atque omnis horror et triſtitia abeſt. Nihil illo in vita melius, nihil ſanctius, in omnique morum laudisque genere ad antiquitatis exemplar expreſſius illo noui.

Hinc etiam in ſcriptis ſuis alienus eſt ab omnibus ineptiis et petulantia, quae plurimis Criticis innata quaſi videtur. Modeſtus enim eſt, vt in vita ita etiam in iudiciis de aliis hominibus ſcriptisque; et niſi a Cenſore Lipſienſi ſuae editionis Bionis et Moſchi nimium eſſet laceſſitus conuiciisque laceratus, atque in feruore animi conſcripſiſſet, refutationem ſuam, nunquam pudoris et modeſtiae leges tranſiliiſſet.

Ab illis tamen, quibus notum eſt, quam acerbe pungant aliorum crimina, facile impetrari poſſe confidimus, vt errare illum, ſed cum illis ſinant, quorum pudor, et continentia alioqui laus fuit maxima. Ingenium eius, eruditionem, amorem vtriusque linguae, antiquitatis, artis grammaticae et criticae, in quibus ingenii poſuit domicilium, et quae nos forſan ſentimus, neque vero laudi viri optimi aliquid detrahere conamur, ex iis, quae ſupra diximus, cognoſcent lectores. Dicendi genus non reconditum quidem eſt, ſplendidum atque excelſum, quod quidem materiae, quas ſibi proponendas explicandasque ſumſerat, poſtulare non videbantur, neque tamen humile, et ſordidum, et plane ex medio petitum: ſaepe inſunt illi oſſa, muſculi et nerui. Quum igitur tanto ſtudiorum flagrat amore, multamque iam tulit laudem, ſperamus, illum non paſſurum eſſe fore, vt quae reliqua legit colligetque, cum ipſo aliquando ſine fructu poſteritatis areſcant.

M. IO-

M. IOANNES THEOPHILVS BIDERMANN,

Rector Gymnaſii Fribergenſis et Collega ſocietatum Lipſienſis et Gottingenſis (*).

Enarrabimus vitam viri de pube et re ſcholaſtica bene meriti, induſtrii et in litteris, quae moderatorem ſcholae et ornant et commendant, probe verſati, ſcriptisque, e quorum tamen plurimis plus induſtriae, laboris et lectionis, quam ingenii elucet, inſigniter celebris; viri, qui ingenii domicilium in antiquitate illuſtranda potiſſimum videtur poſuiſſe, ſed ita, vt illarum non eſſet quaſi mancipium, ſed ad alia quoque litterarum ſtudia animum transferret atque non vnius tantum alteriusque litterarum partis, ſed vtriusque et Hebraicae linguarum artisque numariae eſſet inprimis peritus. Poëtarum et veterum et recentiorum eſt amantiſſimus, eosque in variis proluſionibus cum illuſtrauit tum maxime inter ſe comparauit. Illuſtriores autem forte reddidiſſet ſcriptiunculas, ſi infinita poëtarum loca non ſolummodo excitaſſet, ſed pluries oſtendiſſet, quibus veneribus atque elegantiis alter altero ſiue inferior fuerit

(*) vid. etiam *Strodtmanni* hiſtoria eruditorum adhuc viuentium P. X. et noua erudita Europa P. XIII. et Supplementa ad Lexicon vniuerſale vol. III. pag. 1170 ——.

fuerit ſiue ſuperior, quod maxime facit ad delectationem et ad ingenium adoleſcentium et lectorum omnium acuendum atque expoliendum. Bonis enim poëtis, quorum in labris Dea Suada ſedet, canentibus profluunt illa Homerici ſenis mella, et qui ſedula ac prudenti eorum lectione recte imbutus et inſtructus ad ſcribendum venit, is ita ſcribet vt ea, quae chartis mandat, apes floribus et nectare complere videantur. Horum virtutes, ſuauitatem atque acumen ſentit *Bidermannus*; neque tamen eorum vitia non videt. Praeter haec animum adplicuit ad veram ſacrae doctrinae intelligentiam, oraculorumque diuinorum explicationem, in quorum quidem ſenſu explicando, illum multum iuuit haud vulgaris litterarum hebraicarum notitia. Enim vero dum illis nouam eſt lucem foeneratus, inde etiam doctos aduerſarios nactus eſt. Scribendi genere vtitur terſo atque puro, latoque, non amputato illo atque abſciſſo, quo nonnulli doctores vmbratiles delectantur mire atque gloriantur. Iam quum varia ederet quae ad hiſtoriam pertinent ſcholaſticam, fuerunt, qui ſuaderent, vt hiſtoriam *Ludouici* ſcholaſticam continuaret: cui quidem conſilio obſecundare noluit: ſcimus autem, clar. *Martinium* Doctorem artium in academia Altorfina, in eo verſari, vt omnia colligat ad talem hiſtoriam concinnandam. Indicem autem ſcriptionum ſtatim ſubiungemus, ex quibus lectores laudabilem atque inde-

indefeſſam viri clariſſimi diligentiam atque induſtriam, acre litterarum ſtudium iudiciumque ſedula lectione atque vſu longo ſubactum cognoſcent: ſunt autem

I. Diſputationes et ſchediasmata.

De mercede Diuinatoria ad Num. XXII. 2. praeſ. *Wokenio* 1727. 4. 2 pl. in ſermonem patrium translatam legimus hanc diſp. in M. Io. Chriſt. *Melbornii* gründlichen Erklärung des A. T. Part. V. p. 1407.

Diſputationes in Geneſeos loca difficiliora. Witteberg 1728. 4.

Epiſtola ad Fridericum Schulzium, *qua cauſſa diſcrepantiarum verſionis bibliorum germanicae exponuntur.* Lipſ. 1736. 4. 2½ pl. confer ephem. Lipſ. litter. a. 1736. pag. 200.

Epiſtola gratulatoria ad nuptias D. Ottonis Prof. Hal. et Kunadiae fil. Sup. Isleb., *in qua coniugium cum lilio comparatur.* Hal. 1738. in form. max.

De ſoloecismis Hebraicis. Specim. I. et II.

Numb. 1739. 4. 3 pl. ſunt epiſtolae gratulatoriae, et maxima ex parta translatae in linguam germanicam typis repetitae in gründlichen Auszügen aus Diſput. etc. 1740.

De grauiſſima Praepoſiti dignitate. Freib. 1747. fol. 1 Band.

II. Programmata.

De viris ſcholaſticis in ſcholas liberalibus, Comment. I. Numb. 1742. 4. Comm. II. 1745.

De natura ac indole iuuenum ex Salomonis ſententia, Prou. XXX. 19. Numb. 1743. 4. 1 pl. v. Pomer Nachricht. p. 207.

De inſolentia titulorum librariorum. Numb. 1743. 4. 1 pl.

Specimen hiſtoriae profanae ex litteris hebraicis illuſtratae. Numb. 1743. 4. 1 pl. Extat quoque in gründlichen Auszügen etc. 1743. pag. 187.

De religione eruditorum. Numb. 1744. extat loc. memor. vid. etiam freye Urtheile und Nachrichten 1743. p. 239. Zürcher freymüthige Nachrichten 1744. p. 359.

De ventorum cultu diuino. Numb. 1745. 4. 1 pl. vid. Vollſtändige Nachrichten 1747. p. 180. et Alton. ephem. litter. 1745. p. 383.

De paſtophoris. Numb. 1745. 4. vid. ephem. litterar. Ratisbonenſ. 1746. pag. 176. Alton. ephem. litt. pag. 444. 528. 568.

De diis gentilium flagitioſis et iniuſtis. Numb. 1745.

Meletematum philologicorum, Faſciculus I. Numb. 1746. v. Ratisb. ephem. litt. 1746. p. 206. Alton. ephem. litt. 1746. p. 444. Kraffii biblioth.

De fama graeci nominis iniurioſe ſugillata. Weiſſenfels 1746. 4. 1 pl.

De orphanotropheis publicis munificentiae officinis. Numb. 1746. 4. 1 pl. inſertum legitur in Io. C. Heymanns Sammlung alter und neuer Nachrichten von Waiſenhäuſern P. I. (1754) recenſet. in Alton. ephem. 1747. p. 286. Krafftii bibliothek.

Ogdoas dictionum latinarum infrequentium ex interpretatione bibliorum vulgata. Numb. 1747. 4. 1 pl. v. Vollſtändige Nachrichten. 1747. p. 379.

De ſcholis ollarum. Numb. 1747. 4. 2 pl. Vollſtändige Nachricht. 1747. p. 539. Bayreuth. ephem. 1747. p. 243.

De montibus Muſarum domiciliis. Freib. 1747. 4. 1 pl. Bayreuth. ephem. 1747. p. 430. Hamb. freye Urth. 1747. p. 452. Zürch. freymüthige Nachr. 1748. p. 150.

De mutuis ſereniſſ. famil. electoral. Saxoniae et Bauariae connubiis. Freib. 1747. 4. 1 pl. Bayr. ephem. 1747. p. 430.

Omen in nomine Georgii Samuelis Aſteri. Freib. 1747. 4. 1 pl.

Ratio laborum ſcholaſticorum in Gymn. Freib. adbuc ſuſceptorum. Freib. 1747. 4. 1 pl.

Meletematum Philologicorum, Faſc. II. Freib. 1748. 4. 1 pl. Vollſtändige Nachr. 1748. p. 995. Krafftii biblioth. theol. P. 21. p. 91.

De

De templis concordiae et paci ſacris. Freib. 1748. 4. 1 pl. Vollſtändige Nachrichten 1748. p. 1081. et Bayreuth. wöchentliche Nachrichten 1748. p. 247.

De Irenarchis. Freib. 1748. 4. 1 pl. Vollſt. Nachr. 1749. p. 79. Hamb. freye Urth. 1748. p. 374.

Cur homines montani paſſim male audiant. Freib. 1748. 4. 1 pl. Krafftii biblioth. th. P. 28. p. 763.

De latinitate Maccaronica. Freib. 1748. 4. 1 pl.

Cur multi melius ſcribant quam loquantur et contra? Freib. 1748. 4. 1 pl. Hamb. Ber. 1748. p. 617. Hamb. freye Urtheile 1748. p. 521. Berlin Bibl. Vol. II. p. 553.

De Iſopſephis. Freib. 1748. 4. 1 pl. Vollſtändige Nachr. 1749. p. 558. Hamb. freye Urtheile 1748. p. 523. Ratisb. ephem. 1748. p. 262. Kraffts biblioth. th. P. 24. p. 864. Berl. bibl. Vol. II. p. 553.

De veterum poculis grammaticis. Freib. 1748. 4. 1 pl. Vollſtändige Nachr. 1749. p. 823.

De meritis ſereniſſimae domus ſaxonicae in pacem Weſtphalicam. Freib. 1748. 4. 1 pl. Vollſt. Nachr. 1749. p. 916. Hamb. Ber. 1748. p. 717.

De lapidum cultu diuino. Freib. 1749. 4. 1 pl. Vollſtänd. Nachr. 1749. p. 1070. Neue hamburg. gel. Zeit. 1749. p. 293.

Quid

Quid velit et poſſit rerum concordia diſcors? ex *Hor* L. I. Ep. XII. 19. Freib. 1749. 4. 1 pl. Regenſp. gel. Zeit. 1749. p. 167. neue Hamb. gel. Zeit. 1749. p. 295.

Acta ſemeſtria Freib. 1749. 4. $\frac{1}{2}$ pl.

Meletematum philologicorum. Faſc. III. Freib. 1749. 4. 1 pl. Vollſt. Nachr. 1750. p. 28. 536. neue Hamb. gel. Zeit. 1749. p. 295.

De vita Muſica ex Plauti Moſtellar. Act. III. ſc. II. 40. Freib. 1749. 4. 1 pl. Vollſt. Nachricht. 1751. p. 73. Gründliche Auszüge aus Diſp. 1751. p. 193. Haec proluſio multum ei creauit moleſtiarum litisque vti poſtea videbimus, recenſendo quas habuerit controuerſias.

De diis menſalibus. Freib. 1749. 4. 1 pl. Vollſtänd. Nachr. 1750. p. 369. Gründl. Auszüge aus Diſp. 1750. p. 407. Krafftii theol. bibl. P. 44. p. 270.

Animalium ſtudium immane loquendi ex Ouid. Metam. L. V. 678. Freib. 1749. 4. 1 pl. Vollſt. Nachr. 1750. p. 539.

De ſummo bono ex ſententia Salomonis Cohel. V. 8. Freib. 1749. 4. 1 pl. Vollſtändige Nachr. 1750. p. 644. Krafftii theol. bibl. P. 62. p. 155.

De numis Freibergenſibus. Freib. 1749. 4. 1 pl. Vollſt. Nachr. 1750. p. 870. Gründl. Auszüge aus Diſput. 1751. p. 360.

De vocum Hebraicarum ſignificatione morali. Freib. 1750. 4. 1 pl. Vollſt. Nachr. 1750. p. 688. Gründl. Ausz. aus Diſp. 1751. p. 328.

De

De eruditis male habitis. Freib. 1750. 4. 1 pl. Gründl. Auszüge aus Diſp. 1751. p. 125.

De Aeſculano fodinarum metallicarum Deo. Freib. 1750. 4. 1 pl. Vollſt. Nacht. 1750. p. 970. und f. Gründl. Auszüge aus Diſp. 1751. p. 144.

Meletematum Philologicorum Faſc. IIII. Freib. 1750. 4. 1 pl.

De Iſelaſticis. Freib. 1750. 4½ pl.

De virga Medicâ Stat. Theb. II. 11. Freib. 1750. 4. 1 pl.

De nullis et ſine mente ſonis. Freib. 1750. 4. 1 pl. Vollſt. Nachr. 1751. p. 179. Gründl. Ausz. aus Diſp. 1751. p. 277.

De fortuna primigenia. Freib. 4. 1 pl. Vollſt. Nachr. 1751. p. 1036. Gründl. Ausz. aus Diſp. 1752. p. 350. Krafftii theol. bibl. P. 49. p. 849.

Δενδρα φϑνοπωρινα ex Epiſt. Iud. v. 12. Freib. 1750. 4. 1 pl. conf. Nachricht von kleinen Erklärungsſchriften der göttl. Offenbahrung. (Lipſ. 1751.) vol. I. P. II. n. 3. p. 127. Krafftii theol. bibl. P. 44. p. 850.

De coronatis puerperarum aedibus. Freib. 1750. 4. 1 pl. Vollſt. Nachr. 1751. p. 474. Ienenſ. ephem. 1751. p. 62.

De ſanctis Acephalis. Freib. 1751. 4. 1 pl.

De iis qui ex ordine ſacro in ſcholaſticum tranſierunt. Freib. 1751. 4. 1 pl. Krafftii theol. bibl. P. 57. p. 658.

De

De nominum religione. Freib. 1751. 4. 1 pl. Krafftii theol. bibl. P. 58. p. 759. P. 62. p. 185.

Αναςασις ξενου δαιμονιου, *Act.* XVII. 18. Freib. 1751. 4. 1 pl. Vollſt. Nachr. 1751. p. 740.

Memoriae diſcipulorum extraneorum in ſchola Freibergenſi verſatorum Commentatio I. Freib. 1751. 4. 1 pl.

Aes ſeminatum. Freib. 1751. 4. 1 pl. Vollſt. Nachr. 1751. p. 1109. Krafftii theol. bibl. P. 73. p. 286.

Memoriae diſcipulorum extraneorum in ſchola Freibergenſi verſatorum Comm. II. praemiſſo ſchediaſmate vtrum exteris in republica locus ſit concedendus. Freib. 1751. 4. 1 pl.

Einige Hinderniſſe der Schulzucht. Freib. 1751. 4. 1 pl. Das merkwürdige aus kleinen Schriften Vol. I. p. 368.

De ſpe Iudaeorum deſperata, Freib. 1751. 4. 1 pl. Vollſt. Nachr. 1752. p. 275.

Quae ſit iniuria felix ex Claud. in IV. Conſul. Honorii v. 612. ſeq. Freib. 1751. 4. 1 pl. Krafftii theol. bibl. P. 68. p. 768.

De montibus ardentibus iisque biblicis. Freib. 1752. 4. 1 pl.

Memoriae diſcipulorum extraneorum in ſchola Freibergenſi verſatorum Comm. III. Freib. 1752. 4. 1 pl.

De mendis librorum et nominatim bibliorum hebraicorum, diligentius cauendis. Freib. 1752. 4. 1 pl. Vollſt. Nachr. 1753. p. 269. Kraftii theol. bibl. P. 75. p. 479.

Fabuloſa de ſeptem dormientibus Hiſtoria. Freib. 1752. 4. 1 pl.

Sacra menſis Auguſti. Freib. 1752. 4. 1 pl. Vollſt. Nachr. 1752. p. 680.

Halcyonia ſenectutis admiranda. Freib. 1752. 4. 16. Hamb. freye Urth. 1753. p. 214. Vollſt. Nachr. 1753. p. 63.

De arte obliuiſcendi. Freib. 1752. 1 pl. Hamb. freye Urth. 1753. p. 214. Hamb. Ber. 1753. p. 181.

De ſacris nefandis ethnicorum. Freib. 1753. 4. 1 pl. Hamb. freye Urth. 1753. p. 214. Vollſt. Nachr. 1754. p. 181.

Memoriae diſcipulorum extraneorum in ſchola Freibergenſi verſatorum Comm. IV. praemiſſo ſchediasmate de Dea Mnemoſyne. Freib. 1703. 4. 1 pl.

Bonum nomen Sal. Frid. Seyfridi. Freib. 1753. 4. 1 pl.

Von Bergwerksmünzen. Progr. I. Freib. 1753. 4. 1 pl. conf. Dresdner gel. Anz. 1753. n. 41. Hamb. Ber. 1753. p. 321. Das merkw. aus kleinen Schriften Vol. I. p. 1089. Hamb. freye Urth. 1754. p. 29.

De

De reliquiis eruditorum. Freib. 1753. 4. 1 pl. v. Grypsw. krit. Nachr. IV. Band p. 387. Hamb. freye Urth. 1754. p. 30.

Die zweyte Abhandlung von Bergmünzen. Freib. 1753. 4. 1 pl. Hamb. Ber. 1753. p. 728. 1754. p. 546. Hamb. freye Urtheile 1754. p. 30.

Die dritte Abhandlung von Bergmünzen. Freyb. 1753. Dresdn. Ausz.

Memoriae diſcipulorum extraneorum in ſchola Freibergenſi verſatorum Comm. V. praemiſſo ſchediasmate de viris ſcholaſticis qui reformationem ſacrorum adiuuerunt. Freib. 1753. 4. 16.

Die vierte Abhandlung von Bergmünzen. Freiberg 1754. 4. 1 pl. Nachrichten aus dem Reiche der Kunſt und Gelehrſamkeit (Nürnberg 1754.) p. 136.

אנוש עם אל Iob. IX, 2. h. e. *ſpecimen nominum* Θεοφορων. Freib. 1755. 4. 1 pl. Hamb. gel. Ber. 1755. p. 564. Kraftii theol. bibl. P. 98. p. 763. Hamb. freye Urth. 1755. p. 544.

Memoriae diſcipulorum extraneorum in ſchola Freibergenſi verſatorum Comm. VII. praemiſſo *Schediaſmate de Xenotaphiis.* Freib. 1755. 4. 1 pl. Vollſt. Nachr. 1755. p. 467. Kraftii theol. bibl. P. 104. p. 383.

De כתבת קעקע h. e. *characteribus corpori impreſſis ex Leuit.* XVIII, 28. Progr. I. Vollſt.

Nachr. 1755. p. 558. Kraftii theol. bibl. P. 106. p. 576. Hamb. freye Urth. 1755. p. 543.

—— Pr. II. Freib. 1755. 4. 1 pl. Vollſt. Nachr. 1755. p. 658. Kraftii theol. bibl. P. 110. p. 899. Hamb. freye Urth. 1755. p. 543.

De Cenotaphiis. Freib. 1755. 4. 1 pl. Vollſt. Nachr. 1755. p. 835. Leipz. gel. Zeit. 1755. p. 692.

Memoriae diſcipulorum extraneorum in ſchola Freibergenſi verſatorum. Comm. VIII. praemiſſo Schediaſmate de pueris alimentariis. Freib. 1755. 4. 1 pl. Leipz. gel. Zeit. 1755. p. 692.

Die Ehre des weiſſen Adlerordens. Freib. 1755. 4. 1 pl. Leipz. gel. Zeit. 1755. p. 692.

Die landesväterliche allergnädigſten Religions-Verſicherungen. Freib. 1755. 4. 1 pl. Die Werke aus kleinen Schriften vol. II. p. 826. Kraftii theol. bibl. P. 104. p. 379.

Iuuenalia Freib. 1756. 4. 1 pl.

עזרענה Mal II. 12. h. e. *de officiis praeceptorum et diſcipulorum.* Freib. 1756. 4. 1 pl.

Die erſte Nachleſe von gelehrten Freybergern. Freib. 1756. 4. 1 pl.

Memoriae diſcipulorum extraneorum in ſchola Freibergenſ. verſatorum Comm. IX. praemiſſo ſchediaſmate de *infamia nominum.* Freib. 1756. 4. 1 pl.

Die fünfte Abhandlung von Bergmünzen. Freib. 1756. 4. 1 pl. Das merkw. aus kleinen Schriften Vol. II. p. 1125.

De

De lua veterum dea piuculari. Freib. 1757. 4. 1 pl.

קשורים et מקשרות h. e. *examen vernale* ex Geneſ. XXX. 41. 42. Freib. 1757. 4. 1 pl. Dresdn. gel. Anz. 1757 n. 25.

De audacibus Dithyrambis ex Horat. L. IIII. od. II. Freib. 1757. 4. 1 pl. Dresdner gel. Anz. n. 28. 1757.

De diis dormientibus. Freib. 1757. 4. ½ pl.

Quomodo ſolemus fatis contraria fata? ex Virg. Aen. I. 240. Freib. 1758. 4. 1 pl. Dresdn. gel. Anz. 1758. n. 12.

Quae ſit conditio dulcis ſine puluere palmae? ex Hor. L. I. Ep. I. 51. Freib. 1758. 4. 1 pl. Dresdn. gel. Anz. 1758. n. 16.

De סמל הקנאה המקנה h. e. *idolo Zeli Heſek. VIII. 3.* Freib. 1758. 4. 1 pl. Hamb. Nachr. 1758. p. 427.

De nominibus a metro alienis. Freib. 1758. 4. 1 pl. Hamb. Nachr. 1758. p. 543. Gründliche Auszüge aus Diſp. 1760. p. 525.

Cenſurae poëticae naeuorum poëticorum. Freib. 1758. 4. 1 pl. Dresd. Anz. 1758. n. 43.

Die ſechſte Abhandlung von Bergmünzen. Freib. 1759. 4. 1 pl. Dresdn. Anzeig. 1759. n. 5.

Lex viua in mortuis ſpirans in mortem Ephori D. Wiliſchii. Freib. 1759. 4. 1 pl. Dresdn. Anz. 1759. n. 11.

Die nöthige Uebung der Beredſamkeit auf Schulen. Freib. 1759. 4. 1 pl. Dresdn. Anz. 1759. n. 19.

Von dem Gotte eines guten Ausgangs. Dresden 1759. 4. 1 pl. Dresd. Anz. 1759. n. 37.

Die zweyte Nachleſe von gelehrten Freybergern. Freib. 1759. 4. 1 pl. Dresdn. Anz. 1759. n. 38.

De אשעתי *h. e. viro opportuno ex Leuit.* XVI. 21. Freib. 1759. 4. 1 pl. Dresdn. Anz. 1759. n. 38. 46.

Pallas armata cum Muſis inermibus. Freib. 1759. 4. 1 pl. Dresdn. Anz. 1759. n. 49.

Nomina perſonarum et locorum communium. Freib. 1759. 4. 1 pl. Dresdn. Anz. 1759. n. 49.

Das gewonnene und eingenommene Seſach. Ier. LI. 41. Freib. 1760. 4. 1 pl. Dresd. Anzeig. 1760. n. 15. Curioſ. Saxon. 1760. p. 118. u. f.

Von Buchſtaben Kriegen. Freib. 1760. 4. 1 pl. Vollſt. Nachr. 1760. p. 749. Dresdn. Anz. 1760. n. 35.

Memoriae diſcipulorum extraneorum in ſchola Freibergenſi verſatorum. Comm. X. praemiſſo breui ſchediasmate de Chimaeris ſcholaſticis. Freib. 1760. 4. 1 pl. Dresdn. Anz. 1760. n. 44.

Mutua bella Deorum. Freib. 1761. 4. 1 pl. Leipz. gel. Zeit. p. 601. Dresdn. Anz. 1761. n. 11.

De Narciſſo litterario. Freib. 1761. 4. 1 pl. Dresdn. Anz. 1761. n. 32.

De ſomniis Iudaeorum exegeticis ad Gen. I. 1. Freib. 1761. 4. 1. pl. Dresdn. Anz. 1761. n. 32.

Memo-

Memoriae diſcipulorum extraneorum in ſchola Freibergenſi verſat. Comm. XI. praemiſſo breui ſchediasmate *de nominibus ridiculis.* Freib. 1761. 4. 1 pl.

Bella ſcholis fatalia. Freib. 1762. 4. 1 pl. Dresdn. Anz. 1762. n. 17. Leipz. Annal. 1762. p. 269.

אשת עשה צפרניה Deut. XXI. 12. h. e. de muliere vngues ſuos faciente ſigno luctus. Freib. 1762. 4. 16. Leipz. gel. Zeit. 1762. p. 206.

Memoriae diſcipulorum extraneorum in ſchola Freibergenſi verſatorum. Comm. XII. praemiſſo ſchediasmate de ſyſſitiis Graecorum. Freib. 1762. 4. 1 pl.

De ſeptimo quoque Iudaeorum anno ſabbathario ex Leuit. XXV. 2. ſeqq. Freib. 1763. 4. 1 pl.

Genus irritabile vatum Horat. L. II. Ep. II. 102. Freib. 1763. 4. 1 pl. Burmannianae rixae dederunt occaſionem.

De panda pacis Dea. Freib. 1763. 4. 1 pl.

De auguſtis Auguſtorum mortibus fol. in mortem Fr. Aug. Reg. Pol. et Elect. Sax. Freib. vid. Dresd. gel. Anz. 1763. num. 49. Hamb. Nachr. 1764. p. 51.

De primis rei metallicae inuentoribus. Freib. 4. Dresd. Anz. 1763. p. 534.

Die Freude über den wieder hergeſtellten Frieden, ein Drama. 4. Freib. 1763.

Das groſse Stufenjahr des gegenwärtigen Iahrhunderts. 4. Freib. 1764. Dresd. Anz. 1764. num. 4.

De numis, rei monetariae reformatae reſtibus. 4. Freib. Dresd. gel. Anz. 1764 p. 238.

Eine Sammlung von Churf. Sächſ. Begräbniſs- und Gedächtniſs-Münzen. 4. Freib. 1764. auf den Tod des Churf. Fridr. Chriſtian. Hamb. gel. Nachr. 1764. p. 237.

De antiquitate fodinarum metallicarum. 4. Freib. Hamb. gel. Nachr. 1764. p. 656. Dresd. gel. Anz. 1764. num. 45.

Die erſte Probe von alten und neuen Bibelüberſetzungen zur Beurtheilung der Boyſiſchen Erläuterungen, 4. Freib. Dresd. gel. Anz. 1765. p. 118. Hamb. gel. Nachr. 1765. p. 175.

De Februalibus veterum. 4. Freib. Dresd. Anz. 1765. p. 221. ſqq.

De vano diei vltimi augurio. 4. Freib. Dresd. gel. Anz. 1765. p. 246.

Der unſterbl. Ruhm milder Stiftungen. 4. Freib. 1765.

Ioſephus נזיר אחיו h. e. *fratrum lectiſſimus* ex Gen. XLIX, 26. quum nouus Collega III. M. Dan. Gotth. Ioſeph Hubler, Freib. introduceretur. 4. Freib. Dresd. gel. Anz. 1765. l. c.

Monumenta poëtica animalibus brutis ſtatuta. 4. Freib. 1765.

Die zweite Probe von A. u. N. Bibelüberſetzungen. 4. Freib. 1766.

III. In

III. In aliis menſtruis libellis ab eo inſerta leguntur.

Schediasma de artibus indotatis ad Cic. de Orat. Cap. LV. in Actis ſocietatis latinae Halenſis inſcriptis: Pierides, ſiue Latium litteratum Semeſtr. I. p. 36. v. Leipz. gel. Zeit. 1736. p. 918.

Cogitationes de commentatione critica M. Andr. Conr. Werneri, Rect. Stadenſis in Geneſ. VI. 3. In *Coleri* nützliche Anmerkungen Vol. II. p. 249.

Spicilegium philologico-biblicum. ibidem p. 252. u. f.

Coniecturae de lingua Asdodica ad Nehem XIII. 24. in *Bartholomaei* fortgeſezte nüzlichen Anmerkungen Vol. I. p. 278.

Anmerkung über einige hebräiſche Wörter, welche einerley Formation und unterſchiedene Bedeutungen haben. Ibid. Vol. I. p. 474. cum tribus continuationibus. Vol. II.

Cogitationes de loco Geneſ. XXI. 3. Ibid. Vol. II. p. 249.

Unvorgreifliche Gedanken über die Urſachen einiger Abweichungen in unſern deutſchen Bibeln in heßiſchen Hebopfer. Vol. I. p. 959. cum nouem continuationibus. Vol. III. et IV.

Anmerkung von der Stelle XXXV. 25. Ibid. Vol. II. p. 64.

Anmerkung über Eſ. XXVIII. 10. 13. p. 68. ibid.

Hebraeophili Druckfehler der hebräiſchen Reineccíſchen Bibel p. 76. ibid.

Anmerkung von Polyglottis, oder Gelehrten die viele Sprachen zugleich gewuſt haben, in der Hamburgiſchen vermiſchten Bibliothec. Vol. III. p. 509.

Gedanken von dem hebräiſchen סלה, in den Hamburgiſchen Berichten des Iahrs 1740. p. 129.

Ob die Neuen den Alten vorzuziehen? in Oberlauſitziſchen Beyträgen der Gelehrſamkeit. Vol. I. n. 36.

Von lateiniſchen Schultepicis, in Actis ſcholaſticis. Vol. IIII. P. 6. p. 515.

IV. Alia maiora et minora ſcripta.

Das im vorigen Iahrhundert von den Feinden beunruhigte Naumburg und deſſen vor hundert Iahren 1642. aufgehobene Belagerung. Naumburg 1742. 4. 3. B. vid. Lipſ. ephem. litt. 1742. p. 414.

Acta ſcholaſtica. I. volum. Lipſ. et Iſenaci 1741. 1742. 8. P. 1. recenſentur in Hamb. Beytr. 1741, p. 347. Leipz. gel. Zeit. 1741. p. 253. P. 3. et 1742. p.78. Hamb. Ber. 1742. p. 127. ibid. pag. 608. Bidermannus monitus eſt,

vt

vt acta colligeret academica, quam tamen laudabilem operam propter laborum multitudinem ſuſcipere non potuit. P. 5. ibidem p. 507. P. 6. et p. 560. Hamb. Beytr. 1742. p. 508.

Reliqua horum Actorum volumina laudata ſunt in ephemeridibus litterariis Tigurin. Ratisbonenſibus, Lipſienſibus, Hamburgenſibus etc. Editis octo Tomis, nouam quaſi formam induit, inſcriptum dehinc opus: *Noua acta ſcholaſtica*, in quibus aeque ac in ſuperioribus proluſiones ſcholaſticae ſeparatim antea editae colligebantur. Prodierunt Lipſiae, poſtea Halae Saxonum duo volumina, quorum cenſuras, cui volupe aut otium eſt, in ephemeridibus litterariis memoratis, aliisque libellis menſtruis, quos omnes vocare quid iuuat? legere poterit.

Altes und neues von Schulſachen, I. Pars. Hall. 1752. 8. Baumgartens Nachr. von merkw. Büchern vol. I. p. 559.

—— 2ter Theil. Halle 1753. 8. hic cum priori laudatur in Kraftii theol. bibl. P. 74. p. 322. Baumgartens Nachr. von merkw. Büchern Vol. III p. 94.

Octo voluminibus conſtat opus hoc vtile, in quo ſcriptiunculae ſcholaſticae bonae malis mixtae collectae lucem adſpexerunt.

Digitized by Google

— Selecta ſcholaſtica, Vol. I. Faſc. II. Leipſ. 1745. Kraftii theol. bibl. P. 1. p. 61.

— Vol. II. Faſc. I. Norimb. 1745. 8. Kraftii theol. bibl. P. 6. p. 543.

— Faſc. II. Lipſ. 1746. 8. Alt. gel. Zeit. 1747. p. 394.

Das nach ſchweren Kriegen durch einen allgemeinen Frieden erfreute Teutſchland. Freib. 1748. fol. Hamb. Ber. 1748. p. 717. Franckf. gel. Zeit. 1748. p. 453. Curioſ. Saxon. 1748. p. 346. und f.

Otia litteraria. Freib. 1751. 8. Noua act. erudit. 1755. p. 621. Kraftii theol. bibl. P. 64. p. 347. Leipz. gel. Zeit. 1751. p. 733.

Ehrendenkmal D. Chriſtian Friedrich Wiliſchens, Freib. 1759. fol. eſt huius Bibliis Paralleloharmonico exegeticis hoc opuſculum Ezechieli praemiſſum, quae Haymannus curauit.

Anfangsgründe der hebräiſchen Sprache, Leipz. 1762. 8. Erneſti theol. bibl. III. Band, 1tes Stück p. 91. und f.

V. Praefatio

Ad M. *Erhard. Ludwig Hennens* Anleitung zur lateiniſchen Sprache. Leipz. 1760. 8. von den Hinderniſſen der Lernenden.

Commemoratis ſcriptis ſequitur, vt de eius natali die, patria, fatis, muneribus et contro-

uerſiis

uerſiis pauca dicamus. Natus eſt Numburgi prope Salam die V. menſ. April. a. CIↃ IↃ CCV. patre Nicolao, qui tunc temporis Numburgi, quod ſocero, M. Rudorfo, haud procul hac vrbe, Gros Ienae et Schelſiz, ſacra adminiſtranti fuit ſubſtitutus, domicilium ſibi conſtituit. Iam anno aetatis ſeptimo in ſcholam vrbis illius receptus, in ea tamdiu manſit, quamdiu dignus videbatur academiae candidatus. Qui eo tempore ſtudia pubis ſcholaſticae moderabantur, eos omnes ſubinde habuit praeceptores, a quibus omnibus doctrinis, quibus puerilis aetas impertiri ſolet, eruditus eſt, in hisque inprimis laudat amorem *Kiehlingii*, in cuius aedibus habitauerat, et dexteritatem *Bloſſii*, cuius diſciplinam in tradendis litteris et peritiam tanquam exemplar, quod aliquando imitaretur, ſibi propoſuit et ſub cuius auſpiciis in litteris, quae ab Oriente nomen habent, haud poenitendos fecit progreſſus. Patria a. CIↃ IↃ CCXXIV. relicta, ſuaſu praeceptorum Wittebergam ſe contulit, in qua antiqua et celebri Muſarum ſede tempus idoneum ratus ſtudiis ſuis obſequendi, iis artibus impleuit pectus, quae futurum adoleſcentiae rectorem et moderatorem quam maxime ornarent et commendarent.

ger, *Hilligero*, *Hollmanno*, *Taddelio*, *de Wichmanshauſen*, *Iano*, *Chladenio*, *Schroeero*, *Wernsdorfio* et *Wokenio*, ſub quo etiam vires in diſputando et priuatim et ſemel publice exercuit. Hoc ſtadium litterarum triennium (deflexit enim iam a ſpatio curriculoque maiorum longiori conſuetudo noſtrae aetatis) quum emetiretur, anno CIↃIↃCC XVII. Decano Profeſſore *Spenero* inſignibus magiſtri artium liberalium ornatus, et paullo poſt bibliothecae publicae praefectus eſt. Hic, vti Numburgi iam coeperat, inſtitutione aliorum ſe ad munus ſcholaſticum, quod ei anno 1732. in patria ſua contigit, praeparauit. Antea tamen, quam id munus capeſſeret, contigit, vt ab anno 1729. liberos *Suſmilchii* praefecti reditibus Coswizenſis per tres annos elementis litterarum erudiret, in quo officio pro roſtris ſacris verba fecit frequentiſſime. Anno igitur 1732. M. Theodoro Gollenio fatis intercepto, ad prouinciam Conrectoris in ſchola Numburgenſi vocatus eſt, eamque ſuſcepit: qua vero nouem annos adminiſtrata, et b. Rectore M. *Ioan. Georgio Schützio* a. XXXXI. decedente, huius ſucceſſor a ſenatu Canonicorum cathedralium Numburgenſi dictus et d. III. Cal. Iun. a. XXXXII. oratione, de optima ratione moleſtias vitae ſcholaſticae abſtergendi habita, publice conſtitutus eſt. Vltra duo luſtra poſtquam patriae, vt ciuem bonum decet, ſua commodauit officia, adcidit,

vt

vt Freibergam, vti locum defuncti Rectoris *Samuelis Mulleri* occuparet, a. CIƆIƆCC-XXXXVII. euocaretur. Venia igitur a proceribus ſcholae Numburgenſis imperrata munere decedens Freibergam cum ſuis demigrauit, vbi octauo die menſis Maii, carmine latino, de peruerſa inſtituendae iuuentutis ratione, recitato, et proluſione, *de inueſtitura canonici per librum; Abbatis per baculum; Epiſcopi per baculum et annulum ſimul*, praemiſſa, a praeſule ſacro, D. *Chriſtiano Friderico Williſchio* ſcholae praefectus eſt; quod officium vltra XVIII. annos recte periteque adminiſtrat, multosque bonos ciues diſciplinae ſuae alumnos, rei dedit publicae. Inter ea temporis a. XXXIIII. a ſocietate teutonica Lipſienſi, et a Gottingenſi a. XXXXV. ſuis ſodalibus adſcriptus eſt.

Quum autem *Bidermannus* in interpretandis diuinis oraculis nouas interdum tentaret explicationes, haud defuerunt viri docti, qui eius oppugnarent conamina, atque libellus menſtruus, *Heſſiſches Hebopfer* inſcriptus, theatrum quaſi fuit, vbi manus conſererent. Comparuerunt igitur vol. I. p. 1074. *Stockhauſenius* et *Neubauerus* contra interpretationem II. Chron. XXXV. 25. Defendit ſe *Bidermannus* [illegible]

Digitized by Google

Ieſ. XXVIII. 10, 13. Poſtea Vol. II. pag. 693. *Hecht* contra Ierem. XV, 16. cuius obiectiones diuellere ſtuduit Bidermannus Vol. III. pag. 12: pag. tamen 185. eiusdem vol. *Hecht* ſuam confirmare ſententiam annifus eſt. Praeter ea in relationibus Dresdenſibus a. CIↃIↃCCL. n. VIII. eius explicatio לשׂרה Coh. V, 8. ab homine quodam incerto: et a *Zeylero* loca illa, in quibus *Bidermannus* a verſione Lutheri diſceſſerat, in relationibus Hamburgenſibus ſub examen vocabantur. Hae tamen controuerſiae minus acerbae fuerunt, quam illae, quas nonnulli viri docti multa quidem eruditione oſtentata, neque vero pari verecundia atque decore aduerſus eius proluſionem *de vita muſica* mouerunt: de qua lite et acerbitate *in nouis actis ſcholaſticis* vol. II. part. XII. pag. 944. et in *Vollſtändigen Nachrichten von akademiſchen Schriften* 1751. p. 80. plura legi poſſunt. Omnia enim collegerat, quae tam a veteribus, quam a recentioribus ſcriptoribus in muſices vituperium, eorumque, qui illa arte abutuntur, ignominiam dicta vmquam et ſcripta fuerunt. Similis in illa proluſione eſſe videtur doctoris cuiusdam vmbratilis in vrbe quadam celebri, qui odio Muſices et Cantoris, quocum litem habuit, diſcipulis, qui in iisdem, quibus ille habitabat, aedibus, ne, vt iſte quidem opinabatur, ludendo tempus perderent, panduras fidesque confregit. Videbatur autem noſter plautinam formu-

mulam, *Muſice agere vitam*, neque ſatis conſideraſſe, neque originem adcurate inueſtigaſſe. Plautina enim formula, prouerbiis adnumeranda, ex Graecia, non ex more illorum, qui in cauponis et fornicibus ad vitam ſuſtentandam leuiter et miſere pulſant fides, eſt illuſtranda. Graecis enim, μουσικῶς ζῆν, eſt frugaliter, eleganter, et temperanter viuere; ita vt verba Plauti (Moſtell. act. III. ſc. II. v. 40.) per ironiam ſint explicanda: vti haec eleganter docuit auctor Ienenſis commentationis, *quid ſit muſice aetatem agere ex Plauti Moſtellaria* (loc. excit.) *ad componendam controuerſiam de vita muſica inter viros muſicos nuper ortum exponit Alypius iunior*. 1751.

Communicauit inſuper cum orbe litterario conſilium ſocietatis hebraicae inſtituendae; quod quidem laudatum eſt in *relationibus* Hamburgenſibus 1740. pag. 669. Nos quidem, ſi viri docti et harum litterarum intelligentes eam ob cauſſam ſocietate quadam compulantur, vt codices manuſcriptos cum noſtro typis expreſſo componant, varietatem lectionum ex illis et verſionibus omnibus conquirant, ex linguisque agnatis verba illuſtrent difficiliora, caute tamen et prudenter verſentur, cum ſibi multum lau-

Digitized by Google

rum ſocietatum imitaturi ſunt, hoc inſtitutum, valde dubito, an aliquid pariat vtilitatis, atque reſpondeat exſpectationi. Quis vero audiet atque intelliget hebraice loquentem? Foecundum fuit illi matrimonium: nam ex priori vxore *Ioanna Dorothea nata Dobenekeria*, quam 1734. Numburgi duxit, XV. procreauit liberos, ex quibus tamen VIIII. funus vidit et curauit, et ex maxima natu filia, nupta ſacerdoti Grospartwitzienſi, *Schneidero*, ſed iam denata, tres nepotes et vna neptis fuerunt ei nati. Priori vero vxore a. LX. mortua, ad ſecundas tranſiit nuptias a. LXII. *Ioanna Suſanna*, nata *Hungera*, in matrimonium ducta.

VA1 154S731

Digitized by Google